IOACHIMI SCHEYRING,

MEDICINAE DOCT.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO-CHIRVRGICA DE SECTIONE SYNCHONDROSEOS OSSIVM PVBIS, OPERATIONE CHIRVRGICA PRIMA IN GALLIIS A D. SIGAVLTIO FACTA.

Nulla praeterea lex, quae puniat inſcitiam capitalem, nullum exemplum vindictae: diſcunt periculis noſtris, & experimenta per mortes agunt; &c. &c.

PLINIVS Hiſt. Nat. Lib. XXIX. Cap. I.

FRIBVRGI BRISGOVIAE,
apud ALOYSIVM WAGNER, Bibliopol. Ciuic.

1778.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

REVERENDISSIMO
ET
ILLVSTRISSIMO
DOMINO, DOMINO
JOSEPHO ANSELMO
LIB. BARONI
DE
WESTERNACH,
DOMINO IN CRONBVRG, &c. &c.
Princip. & Inful.
Eccleſiae Cathedralis Auguſtanae
DECANO,
Sereniſs. & Reuerendiſs. Archiepiſcopi
Treuirenſis S. R. I. Electoris, &c. &c.
Princip. & Epiſcopi Auguſtani
CONSILIARIO INTIMO
nec non
ARCHIDIACONO,
DOMINO AC PATRONO SVO
PERQVAM GRATIOSO.

Has Academici ſtudii primitias

D. D. D.

Seruus infimus

SCHEYRING.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31927774

THESES MEDICAE.

I.

Medicina artium omnium hominibus vtiliſſima eſt.

II.

Docendo bene in chirurgicam & clinicam diuiditur, verum exercendo indiuiſibilis eſt.

III.

Doctrina illius clarior doctrinae huius obſcuriori praecedere debet. *Boerhaaue, Van Swieten.*

IV.

Medicus igitur clinicus, niſi prius chirurgiam doctus, imperfectus, nullus eſt. *Fr. Hoffmann, Graſſot.*

V.

Medicus vero chirurgicus, clinicam inſuper doctus, medicus perfectiſſimus eſt. *Fr. Hoffmann.*

VI.

Ars obſtetricia eſt pars medicinae vniuerſae, igitur a medico perſecto tantum exercenda.

VII.

Operatio ſectio ſymphiſeos dicta, noua, nuper in Galliis nimis audacter facta & in Germania praepropere imitata, in hac arte nulla ratione admittenda. *Acad. Chirurg. reg. Pariſ.*

VIII.

Sectio vero caeſarea omnimodo conſeruanda eſt. Indicata vero opportuno tempore facienda. *Bamps.*

IX.

Materia chirurgica nullum agnoſcit medicamentum ſpecificum. Ideo emplaſtra & vnguenta fere omnia exulare iuſſit *Acad. Chirurg. reg. Pariſ.*

X.

Materia clinica oleum preſſum ricini vulgaris rite paratum ambobus brachiis recipere deberet. *Cavane, Odier.*

XI.

Non datur medicamentum antyliſſum internum neque externum: in amputatione vel ambuſtione partium morſu laeſarum vnica ſalus eſt.

XII.

Antiepileptica, antihyſterica, & cetera ANTI-nobilitata medicamenta, quae paſſim praedicantur, nulla ſunt, ſed cauſſa morbi proxima prius cognoſcenda, qua ignota in eligendis remediis nunquam non infelix erit medicus. *Scopoli.*

XIII.

Ad proximam morbi cauſſam iudicioſe quaerendam, actiones laeſae probe examinandae, illa co-

gnita

gnita eligenda remedia vulgaria,paſſim obuia & ſimpliciſſima ſunt. *Scopoli.*

XIV.

Tartarus emeticus & kermes mineralis maiori doſi datus emeticam, minori catarcticam, minima vero eaque iteratis vicibus prudenter datus, reſoluentem exercet virtutem. Summae ideo vtilitatis eſt in morbis pulmonum, aliorumque viſcerum, quos humorum lentor intulit, aut mora longior. *Scopoli.*

XV.

Nitrum non eſt ſpecifice antiphlogiſticum. *Alexander.*

XVI.

Nonum par neruorum linguale dictum plane nihil ad guſtum confert. *Boehmer nepos.*

XVII.

Commotio ſanguinis cum functionum varia laeſione febris appellatur. *Acta Heluetica.*

XVIII.

Febris omnis inflammationis comes eſt inſeparabilis, ſi non generalis, certo localis.

XIX.

Febris inflammatoria ſi vehementior, optime venae ſectione loco inflammationi proximo facta, mitigatur. *Brambilla.*

XX.

Omni inflammationi conſpicuae relaxantia applicata proſunt: non ita adſtringentia: haec ſolummodo cauſſa irritante iam ablata indicantur non raro ſuperflua.

XXI.

XXI.

Relaxantium optimum eſt vapor aquae calidae. Adſtringentia vero in ſubſtantia applicari debent, nam vapor decocti adſtringentis mere aquoſus, relaxans eſt, vti non medicis coquabus liquet.

XXII.

Inoculatio eſt vnica variolarum prophylaxis. *Boerhaue.*

XXIII.

Venenum eſt, quod parua doſi ingeſtum omnes actiones turbat. Et licet non ſemper, ſaepe tamen necat. *Blancard.*

XXIV.

Auripigmentum, ſandaracca veterum (pyrites nudus, flauus, micis auratus *Linnaei*) natiuum ſi reperitur ſulphuri pluribus datibus ſimile, friabile, fuſile, facile inflammabile, dumque foetore ſulphureo infeſtum, iners, innoxium. *Blancard.*

Ergo non eſt venenum. *Meckel filius.*

Eheu! quam innocenter quondam mulier ob veneficium ſuſpecta, quia medicus anatomicus in ventriculo exenterati mariti miculam auripigmenti a medico chemico venenum denunciatam inuenit, ad torturam damnata fuit, quam tamen ruſtica robuſta feliciter ſuſtulit.

De

PROOEMIVM.

Non ſane ignoro, eam plerumque fuiſſe conſuetudinem, vt quamprimum quiſpiam ad ſupremam Artis ſaluberrimae Lauream aſpiraret, inaugurali quadam diſſertatione, quidquid virium, aut artis in dicendo ſibi comparaſſet, eo potiſſimum conferret, vt vnam aliquam partem medicinae, quam clinicam vocant, pro virili illuſtrandam ſuſciperet.

Quae quidem conſuetudo licet mihi reprehendenda minime videatur, ab huiusmodi tamen inſtituti ratione tum grata rerum nouitas, tum ſingularis quaedam medicinae chirurgicae cum clinica cognatio me reuocauit, alioque abduxit. Quibus vero modis ad id, quod inſolens multis, ac nouum videbitur, fuerim impulſus, dicam, vt res eſt: neque vereor ni-

 mis,

mis, modeſtiam viri offendere, quem honoris cauſa nominant, quotquot ipſius vbique ſunt diſcipuli. Nimirum in publicis praelectionibus de arte obſtetricia celebr. artis chirurgicae & obſtetriciae in Academia Friburgenſi profeſſorem publ. ord. nec non Poloniae Regis conſiliarium aulicum Doct. MEDERER, cuius viri memoriam nulla apud me obliterabit aetas, de noua in Galliis inſtituta operatione verba facientem audiui, ſuamque de ea ſententiam, vt peracri iudicio, ita ſingulari qua omnia ſolet, eloquentia exponentem. Vnde, cum ars obſtetricia & chirurgica ſummopere me ſibi addictum ſemper haberet, adeo mirifica delibutus ſum voluptate, vt poſthabitis rebus ampliſſimis, id demum argumenti diſſertationi meae praefigendum ſtatuerem.

His accedit, operationis huius inuentorem & ipſum fuiſſe clinicum, qui antequam ad ſupremos medicae facultatis honores eueheretur, Lutetiis ſelectus chirurgiae ſtudioſus, prima vtiliſſimae artis fundamenta ponere nullus dubitauit. Quare medicum clinicum de operatione chirurgica publice diſſerere, mirari demum deſinet, qui iſthaec accuratius expenderit; eoque magis, quod intimam arctamque habeat medicina chirurgica cum clinica ſocietatem. Quae ſi forte negligatur, nullum maius medicae facultati malum, aut luctuoſius

com-

communi ſaluti periculum accidere poteſt. Hinc enim fit, vt homines nullis eiusmodi ſtudiis informati, ad vſum atque exercitationem diuinae illius ſcientiae temere irrumpant, quae cum per ſe ſit maxime ardua, niſi recte adhibeatur, euadit longe omnium perniciosiſſima. Et vero medicus, niſi idem & chirurgus ſit, mihi non ſolum aliquis inferioris ſubſellii, ſed nullius plane ordinis, aut iis potius accenſendus videatur, quibus non nemo illud, nequius neſcio, an verius adplicauit: *Nos Numerus ſumus, atque homines conſumere nati.*

Verum plura dixi, quam volueram aduerſus Miſochirurgos, quocum hominum genere dimicationem ſuſcipere eſt valde periculoſum. Illud mihi ſatis eſt cuique ob oculos ponere, quid ſuperiori memoria viri ab ingenio probe facti, & medicis artibus inſtructiſſimi hac de re iudicauerint. Quem vero alium prae ceteris nominabo, quam immortalem BOERHAVIVM, cuius nomen iam ſummum eſt elogium, & in cuius laudem dixiſſe ſufficiat, illum maximos huius ſaeculi archiatros diſcipulos habuiſſe? Atqui ſcribit hic alter HIPPOCRATES in libro ſuo de cognoſcendis & curandis morbis §. 557. " Qui omnes morbos „ a §. 145. hucusque deſcriptos, oculisque „ ſubiectos intellexit ita, vt horum enarratas

 „ cau-

„ cauſas, naturam, effectus, curationem cum „ cura expenderit, dein autem internis tectisque corporis partibus eadem omnia adplicuerit, cum actione integrarum comparauerit, atque deinde cum ipſis internorum morborum phaenomenis compoſuerit, „ videbit interna externis reapſe congruere, „ *externos chirurgicos primo pertractandos, nec* „ *aliter ordinati quid, vel veri in praxi medica* „ *fieri poſſe, vel doceri.* „

Nihil me hercle! nihil veritati magis conſentaneum, aequius nihil, quam quae hoc dogmate tradita fuit regula.

Omnes, quocumque nomine compellentur, morbi externi profecto ſub ſenſus cadunt, quorum initia, incrementa, ſtatus, decrementa, diuerſique exitus omnium patent oculis, & ambabus, vt aiunt, manibus palpari poſſunt; quorum cauſas vel iam habemus cognitas, vel nullo fere labore detegere planum cuique eſt & obuium. Adde remediorum, quibus in illis perſanandis vtimur, effectus pene omnes in clariſſima verſari luce, ita quidem, vt exoptata tantopere in omnibus ſcientiis certitudine vnica fere chirurgia gaudeat. Qua igitur ratione medicus veram ſibi ſolidamque comparabit naturae, cauſae, effectus, curaeque cognitionem, niſi ab externis primum ad interna, a cognitis ad incognita, a veris ad veri-

veriſimilia, a certis, ad coniecturas ſenſim, pedetentimque progrediatur?

Tantum ad medicam facultatem confert chirurgia, eoque liberalius, quod externi morbi internis natura aeque ac cura reſpondeant. Intellexit id probe vir omni laude ſuperior, L. B. VAN SWIETEN, qui ob doctrinam & praecipue ob praeclara in Magiſtri ſui BOERHAVII aphoriſmos edita commentaria apud eruditos maxima gloria, ob integritatem vero apud Auguſtiſſimam Imperatricem ac Reginam ſumma gratia, ſumma floruit authoritate. Non prolixa minus quam erudita commentatione in eundem hunc aphoriſmum, quam nos tuemur ſententiam verbis expoſuit clariſſimis, quorum poſtrema duntaxat, ne longior ſim, in medium afferre eſt animus:
" Adeoque, *concludit*, merito pro axiomate ha-
„ beri poterit, internos morbos externis con-
„ gruere, atque nihil ordinati, vel veri in
„ praxi medica, fieri poſſe, vel doceri, niſi
„ externorum chirurgicorum morborum hi-
„ ſtoria primo pertractata fuerit, antequam
„ de internis agatur. „

Hoc teſtimonio perſpicuum eſt, atque in propatulo poſitum, ad chirurgiam in vniuerſum reuocari morbos, quos ipſe BOERHAVIVS a §.I. ad 557. vſque pertractauit, illuſtris vero L. B. VAN SWIETEN ſuis illuſtrauit commen-

tariis. Iam vero quis efficacioribus euincet argumentis, eos ad vnum omnes ſub chirurgiae imperio eſſe, & ab hac ſalutem expectare ſuam? aut edicite, quaeſo, quibus demum aliis rationum momentis, quam quae ex inſitis rerum proprietatibus petuntur, demonſtrari poterit clarius, medicum, nullis chirurgiae praeſidiis fultum, nullo quoque habendum loco? *) Quodſi naturalis ſcientiarum ordo peruertatur, ac initiis praetermiſſis τοὔϛερον fiat πρότερον, nihil ſane erit reliquum, quam inanis & vaga quaedam ariolatio, incertus ſomniorum conflictus, ac puerilis andabatarum in morem velitatio. Quemadmodum incognita viatori eſt quaecunque terrae, coeliue regio, in qua ſine geometria & aſtronomia, ſine acu magnetica temere circumuagatur: ita, qui nullis chirurgiae myſteriis initiatus ampliſſimam medicinae prouinciam acceſſerit, nae is media in regione exul, & hanc ſaluberrimam artem, & ſe ipſum fugiet. Sed plura iam fortaſſe, quam neceſſe fuerat, de re minime obſcura. Quis enim non videt, aduerſarios ſatis ſuperque refutari teſtimonio celeberrimorum in arte medica dumui-

---

*) Id quod pridem opuſculum anonymum Magdeburgi 1622. ſub titulo: *Medicus, niſi Chirurgus, nihil eſt;* & nuper Clar. GRASSOT in oratione Lugduni Gallorum dicta, occaſione reditus ſcholarum chirurgic. demonſtrauerunt.

umuirorum, quibus dicam ſcribere nemo, niſi pugnaciſſimus, velit? Vnum praeterea, velut complementum, adiungere ſit fas, FRIDERICVM HOFFMANNVM, Conſiliarium intimum, & medicum primarium regiae Maieſtatis Boruſſorum, Profeſſorem medicinae publ. ordin. Academiae Hallenſis „ Complures quidem, (*ait vir nulli eloquentia ſecundus* *) in peruerſa hac verſantur opinione, hanc artem, quae manu ſanat, & in ſectionibus atque remediis externis adplicandis verſatur, directe ad medicinam non pertinere; at ii certe neſciunt, totum hominem tam quoad externas, quam internas partes medicinae eſſe obiectum, & has inuicem tam mirabilem intercedere conſenſum, vt vitium, quod externis inhaeret, facile pertranſeat ad interiores, & iſtae contra grauiter luant, ſi hae morboſe adficiuntur. Praeterea ſciendum eſt, vitia, quae externis partibus inhaereſcunt, & quae chirurgiae ope egent, etiam internas occupare, vt dolores, tumores, extrauaſationes, ſcirrhi, inflammationes, vlcera, apoſtemata, & ſingula non tantum externa, ſed etiam interna medicamenta requirere, vt adeo pateat chirurgi, & medici munus non multum differre; neque prae-

 ter-

*) Praefat. in operibus ſuis phyſico-medicis.

„ termittendum, topica pro diuerſa vitiorum „ ratione & corporum natura inſignem, ne „ qua noxa inferatur prudentiam deſiderare; „ ex quo clare adparet, nec medicinam a chi- „ rurgia, nec chirurgiam rationalem, vt ve- „ rum dicam, a medicinae fundamentis vllo „ modo poſſe ſeparari. „

Praeclare, vt nihil magis! Ergo vtramque medicinam nullo inter ſe differre modo, quis auſit inficiari, cum internam id fere omne, quod certi & ordinati, tam in principiis theoreticis, quam practicis habet, ab externa mutuari intelligat? Verum enimuero aerem verberare videbor non nullis, hoſtesque inſano pugnandi aeſtu fingere, qui nullibi ſint. Quotusquisque enim eorum, qui medicam profitentur artem, claris, euidentibus & vt ſcholae aiunt, poſitiuis ac determinatis illis principiis imbutus non eſt, quae illuſtres hi medicinae legislatores a ſuis tironibus exigunt? ecquis adeo rudis ac barbarus, vt theoriae leges neſciat ſanctiſſimas? Quodſi vere haec dicerentur, debellatum iam foret, nihilque porro ſuper, quam acie excedere, noſtrisque temporibus hanc ſummam gratulari felicitatem. Aſt fuit, proh dolor! fuit illa aurea Graecae ſapientiae aetas, qua medicina, & chirurgia, velut Germanae ſorores, pulcherrimo animorum vinculo colligatae, domi foris-

foriſque comparebant: qua iunctis ambae opibus, Ioue non indignante, reſtaurando Promethei ſigno, benignas ſimul admouerunt manus: qua nunquam lucelli & quaeſticuli cauſa naulo Charontis inſidiatae, ſed inuidiam faſtumque, communes vtriusque hoſtes, triumpharunt. Nepotes quo neſcio fato degeneres, diuortium fecere triſtiſſimum, ita, vt medicus, idemque chirurgus hac tempeſtate rara ſit auis, & ſiquidem prouerbiis vti liberalius licet, pene albo rarior coruo. Nequis haec temere calumniari me putet, teſtem omni exceptione maiorem appello eundem magnum HOFFMANNVM, cuius verba integra recitare iuuat: " Recte igitur ſentiebant veteres, qui „ ex familia AESCVLAPII ortos & arte medi„ ca imbuendos ante omnia chirurgiam edo„ cebant; ideoque in ſuis de re medica mo„ numentis ſummum eidem pretium ſtatue„ bant. Atque etiam olim & noſtra hac „ tempeſtate illi medici, qui paulo curatiorem „ corporis humani anatomen cum chirurgia „ excoluerunt, prae omnibus aliis magno ho„ nore habiti, ſummam celebritatis famam „ conſecuti ſunt. *Sed quam pauci ſunt, qui „ egregiam hanc artem probe intelligant!* „ Hucusque HOFFMANNVS, cuius teſtimonio ſuffragari cordatum quemque, & conſtantem decet virum. Nemo ignorat, HIPPOCRATEM

 gen-

gentis aſclepiadeae decimam nonam fuiſſe propaginem, quae prae ceteris artem coluit medicam, omnique in eam ſtudio incubuit. Quaecunque autem eo ſpectabant, praecepta a patre ſiue ore tradita, ſiue ſcripto relicta filiis, iugiter manabant per poſteros, nec tamen euulgabantur, ſed peranguſtis vnius familiae terminis circumſcripta, diu delituerunt. Tanta apud veteres fuit arcani diſciplina, vt ſumma quaeque inuenta myſteriis conderentur Eleuſinis! Perrupit denique hos cancellos meliori Numine afflatus HIPPOCRATES, quodque prodeſſet omnibus, libris in lucem editis omnes edocuit, primus ideo artis medicae autor ſcriptorque dictus. Cuius porro generis ea ſcripta fuerint, a nemine alio intelligere ego malim, quam a magno HALLERO, cuius cineribus Hiſtoria medica cumprimis parentat. Quid autem vir ſummus? chirurgica maximam partem ea fuiſſe, non ambiguis collegit indiciis, *) cum cetera, quae eiusdem nomini inſcribuntur, vel manifeſte ſuppoſita, vel certe ſubleſtae fidei cenſeri debeant.

Recte

*) HIPPOCRATIS ſcripta chirurgica mihi videntur excellere ordine, perſpicuitate, peritia, puritate ab omni hypotheſi. — Ego ipſum maiori iure medicinae chirurgicae quam clinicae parentem dixero. Biblioth. chirurg. Tom. I. pag. 7.

Recte igitur cum HOFFMANNO ſtatuimus, chirurgiam artis ſaluberrimae initia iam fere ab ipſius incunabulis atque adeo prima habita fuiſſe fundamenta. Teſtes huius rei ſunt, quotquot HIPPOCRATIS vbique fuere interpretes, qui praeceptoris ſui veſtigiis inhaerentes, haud facile aliam inierint methodum. Teſtis GALENVS, ORIBASIVS, AETIVS AMIDENVS, PAVLVS AEGINETA, quorum ſcripta quisquis conſulet, mihi profecto aſſentietur. Vt taceam reliquos Graecorum hermeneutas, atque Arabum principes, RHAZEN, AVICENAM, ALBVCASSIM; quem alium finem ſchola Italica, artis medicae reſtauratrix, propoſitum ſibi habuit? Et quoniam ad noſtram delapſus ſum aetatem, quos demum maiorem ſibi laudem hodie comparaſſe audiuimus, quam eos ipſos, qui Graecorum exemplo chirurgicam cum Clinica coniunxerunt? neque neceſſe eſt exempla peregre emendicare, quandoquidem domeſtica abunde ſuppetunt. Habet profecto Germania noſtra, quos & Gallis, & Italis opponat, viros hac ab arte clariſſimos, *Vienna* HOVMBVRGVM, *Berolinum* HENKELIVM, *Lipſia* PLATNERVM, *Wirceburgum* SEYBOLDVM, *Monachium* FISCHERVM, *Ingolſtadium* LEVELINGVM, *Göttinga* RICHTERVM, *Moguntia* STRACKIVM, *Argentina* LOBSTEINIVM, *Friburgum* GEBHARDVM. Vltimum nominaui, quem primo

mo ponere loco debueram, non tam propter inſignem anatomiae peritiam (de tantis enim viris tironem iudicare plus, quam temerarium foret) quam ob debitum Profeſſori meo amantiſſimo grati animi officium.

Tuum iam erit decernere, L. B. quid de vtilitate, imo neceſſitate chirurgicam arcte cum clinica copulandi quemlibet ſolidioris doctrinae cupidum exiſtimare oporteat. Ego manum de tabula, qui in prooemio, fateor, oppido fui prolixior, quam aut debui, aut volui, ita vt merito notam illius incurrere ſubuerear, qui dixit: *Stultum eſſe ante hiſtoriam effluere, in ipſa autem hiſtoria ſuccingi:* Macr. L. II. Prooem.

HISTO-

HISTORIA OPERATIONIS.

Ex innumeris, quae vbique vulgari ſolent, nouellis nulla prope fuit, quae nouam taceret operationem, quam Gallus quidam Medicus in difficile parienti militis vxore inſtituiſſe ferebatur. Res ea omnium animos merito tenuit ſuſpenſos, aegre exſpectantium, quos progreſſus, quos habitura ſit exitus. Neque enim tam noua audere, quam audere feliciter aliqua in laude ponitur. Sed hem! pulcherrime acta eſt fabula. Nulla mora; applaudere glorioſi nouellarum ſcriptores; omnes tantum medicae Facultati gratulari triumphum; nova haec operandi methodus, tanquam res ad humani generis conſeruationem ſummopere neceſſaria, inuentor alter AESCVLAPIVS vbique gentium celebrari. Neſcio, an non erubuerit ad haec ſeuerior philoſophiae genius, probe gnarus, quanti moliminis ſit,

poſt

poſt tot praeclaros in arte viros inuenta procudere noua: certe frontem non nihil contraxerit, anceps, vtrum nouitas magis placeret, an veritas; in ea praeſertim regione, quae panegyricis abundet hodie, & quacum ventoſum noſtratium Enthuſiaſmum, mira quadam ſympathia, conſpirare putes. Sed enim hiſtoriam ſcripturum me pollicebar, non ſatyram.

Tantis igitur encomiis excitatus illuſtris MEDERER, profeſſor artis chirurgicae & obſtetriciae longe peritiſſimus, qui non ſolum ſingulari methodo hanc exponit artem, ſed etiam quidquid in ea vbique terrarum emendatur, aut nouum inuenitur, in vſum diſcipulorum conquirit, & propriis comparat ſumptibus; is inquam vir, cui dum vixero, propterea non ſolum, ſed aliis etiam nominibus, quae non niſi imperiis adactus taceo, grates agam, & habebo ſempiternas, caepit tandem accuratius rem omnem examinare, examinatamque, ſuis in praelectionibus, in oculis atque auribus omnium ſtatuere. Quo autem certius ferre iudicium poſſemus, nihil potius habuit, quam enarrare hiſtoriam, qualis partim ex Diario Pariſienſi, partim Nouellis ſanitatis, vt vocant, innotuit. Nec omiſit obiectiones, quaecunque contra operationem factae leguntur; easque, quatenus verae falſaeue eſſent, acutiſſime diſpexit; quibus dein cum ſua e pe-

nu

nu addidiſſet, quidquid operationi litem creare eſt viſum, quid erat pronius, quam ſenatoriam dicere ſententiam? Dixit, ſed ea modeſtia, quam tironum vltimus aſſequi vix poteſt. Hunc itaque ſequar ducem, maxima ſpe fretus, & mihi aliquid claritatis a praeceptore clariſſimo acceſſurum; eo tamen diſcrimine, quod ego hiſtoriam non ex diariis, ſed ex actorum commentariis, quae facultas medica hanc in rem typis mandauit, ſtudioſe decerpere ſtatuerim. Autographum quidem latino idiomate ſcriptum, impreſſumque eſſe perhibent, quo & in eorum perueniret manus, qui gallica neſciunt. Pene crederes, tantum fuiſſe vulgandi ardorem, vt τῳ καθολικῳ linguae gallicae fidere, ne apud eos quidem, quorum haec noſſe intereſſet, ſatis tutum haberetur. Verum cum omni adhibito labore, quin factis etiam ſumptibus iisque non leuibus, nullum Pariſiis exemplar obtinere poſſem, ecce tibi, quod bona dedit fortuna, idem illud ſe mihi, ſed gallice conſcriptum, in diario medico menſis februarii obtulit. Cuius ſingula verba transferre ſi luberet, prolixior oppido fierem, quam & mihi, & lectoribus meis volupe. Quare omiſſis formulis ceteriſque parergis, non niſi praecipua, magiſque ſcitu neceſſaria in medium afferam. Commentarius igitur, de quo nobis eſt ſermo, hanc

in fronte praefert inſcriptionem: *Narratio eorum, quae ratione ſectionis ſymphiſeos oſſium pubis, quam mulier, nomine* Souchot, *ſubiit, in collegio facultatis medicae geſta fuerunt.* Tria vniuerſim complectitur capita, quorum primum ſummam actorum refert ex indicibus facultatis medicae pariſienſis, alterum libellum domini SIGAVLT, eidem facultati oblatum; poſtremum denique teſtimonia DD. Commiſſariorum ſubiungit, quae palam dicta in ſenatu, & publicis conſignata ſunt literis.

Summa Actorum.

Atque a principio vt exordiamur, tria pariter ex facultatis indicibus exhibentur actorum genera, quorum ſingulis nomen clariſſimi domini decani J. C. DESSESSARZ *) ſubſcriptum eſt legere. Ex illis haec fere habentur. Calendis octobris anni 1777 comparuit clar. JEAN-RENÉ SIGAVLT *de Dijon* in conuentu *prima menſis* dicto; retulitque, elapſa ſe nocte in militis vxore, nomine *Souchot*, ſectionem ſymphiſeos oſſium pubis peregiſſe, tam proſpero euentu, vt illa, quamprimum partu exſoluta, puerum ediderit non integrum modo, ſed etiam valentem. Tum petiit a facul-

*) JEAN-CHARLES DESESSARZ, du dioceſe de Langres, ſcripſit 1760: *Traité de l'éducation corporelle, & une lettre ſur le ſalop*

cultate, commiſſarios vt delegaret, qui factam inſpicerent ſectionem, & de ipſius effectibus ſuam ferrent ſententiam. Delegauit Clariſſ. DD. GRANDCLAS *) & DESCEMET **). In conuentu prima menſis Decembris, qui tamen tertia primum fuit habitus, ipſa adeo militis vxor, brachio coniugis ſuffulta, per ſcalam viginti graduum in aulam collegii aſcendit, ibique per duo minuta relicta ſibi, ſine vllo conſtitit fulcro, donec conſidere iuſſam ſpectabilis D. decanus de variis caepit percontari: num quis cibi appetitus? qualis digeſtio? ſomnus an tranquillus? qua ſectio facta, nullus doloris ſenſus? poſſitne vrinam retinere? & quae ſunt eiusmodi. Ad haec illa ſingillatim ſincere annuere, palamque affirmare, hiſce omnibus non ſolum libere, ſed & cum aliquo voluptatis ſenſu perſungi ſe poſſe; noctes ire placidas iucundasque; locum ſectionis nullo affici dolore: quin in dies

*) CLAUDE-FRANÇOIS GRANDCLAS, de Pont-à-Mouſſon, écuyer, ancien médecin du feu roi Stanislas duc de Lorraine, & médecin conſultant des armées du roi.

**) JEAN DESCEMET, de Paris, cenſeur royal. Scripſit aliqua in diario medicinae, ſaepius laudatus ob ſubtiliorem anatomiam a celeb. LORI, auctore libri aurei de morbis cutaneis nuper editi.

noua ſe capere virium incrementa. Cetera, quamdiu conſideret, & vrinam retineri; ſecus, cum erecta pedibus niteretur; equidem nolle ſe inficiari, Iſchium ſiniſtrum graves perſentiſcere dolores, qui tamen primum iam puerperium fuerint forte ex eo conſecuti, quod lac reſorptum ſe hanc in partem recepiſſet. Addidit quoque, ſe ipſam puero, qui ex praeſentis gerulae pendebat collo, lac praebuiſſe; ſimulque eum omnibus, qui coram aderant, exultans oſtendit. Quo facto clariſſ. SIGAVLT ſuum recitauit commentarium; & poſt eum DD. commiſſarii, quid ipſis videretur, enunciarunt. Neque iam longior tenuit arbitros deliberatio. Lectis ex more ſuffragiis, condita eſt lex: Commentarius auctoris approbator: idem vna cum teſtimoniis commiſſariorum, publicis facultatis ſumtibus, typis mandator; cumque omnes non adfuerint, qui vocati adeſſe debuerant, vitandae inuidiae ergo facultas altera adhuc vice conuocator! Dies erat ſexta decembris, qua frequentiſſimus ex omni ciuitate confluxit ſenatus; nihil tamen actum in eo noui, ſed eadem lex repetita bis placuit. Tum certari caeptum de laureis; in quibus illud ſenatusconſultum fuit auctori ſane per quam honorificum, omnibus magnatibus, principibus ciuium, imperii ciuitatibus, & vbi demum Europa ſiue medica ſit,

ſiue

ſiue chirurgica, vnum aliquod libelli exemplum eſſe dono mittendum. Neque hac honoris ſignificatione contenta facultas rogationem alteram tulit, an ſuperior militis vxor annua digna penſione; inuentor vero, tam praeclare de humano genere meritus, ſingulari remunerandus proemio videatur? Placuit vtrumque, & omnium calculis decretae mulieri, ex aerario facultatis, annuae trecentae & ſexaginta librae, donec noua ei ſubſidia excelſum regimen impertiretur, quocum hac ſuper re precibus quam diligentiſſimis acturam ſe promiſit facultas. Quo vero tanti viri meritis gratificaretur, iuſſit numiſma cl. decani pro hoc anno excudendum hac ſignari epigraphe: *Ann. MDCCLXVIII ſect. ſymph. pubis inuen. prop. Ann. MDCCLXXVII fecit felicit. M.* SIGAULT, *D. M. P. iuuit M.* ALPH. LE ROI, *D. M. P.* Centum ita ſignata numiſmata adiudicata ſunt SIGAVLTIO, quinquaginta ALPHONSO LE ROI.

Commentarius Clar. D. SIGAVLT.

Hiſtoria apotheoſeos perfuncti, gradum faciamus ad ipſum immortalem SIGAVLTII commentarium, qui ſecundo poſitus eſt loco; ex eoque, quae ſcire refert, decerpamus. Principio inquit: cum medicinae ſtudiis animum applicuiſſet ſuum, totum ſe fere in eo fuiſſe,

vt artem obſtetriciam penitus perdiſceret; breui autem ſibi perſpectum, quando phyſice fieri haud poſſet, vt foetus viuus ſolitos per meatus in lucem emergat, nullum arti ſupereſſe medium, praeter ſectionem, quam appellent caeſaream. At enim grauiſſima eam plerumque pericula, nec raro mortem conſequi, ideo a perpaucis medicorum commendari, & a puerperis multo adhuc paucioribus admitti ſolitam. Quo quidem factum, vt alia inirentur conſilia, ſed aeque luctuoſa, aeque atrocia, quibus nimirum infans iam in vtero vitae iacturam ſubeat, vique adhibita ſaepe adeo fruſtratim inter incredibiles matris cruciatus auellatur.

Tunc MEDEIDEM hanc rabiem tragice deſcribit auctor, deploratque triſtiſſimum patriae fatum, quo ingenti ciuium numero indies orbetur, quoties peluim genitricis qualicunque de cauſa anguſtiorem reddi contigerit, quam vt hac foetus valeat euadere. Tam funeſtae ſtragi auertendae intentus dum varias indagat vias, haec forte mentem ſubiit cogitatio: ſi perſaepe, naturali etiam in partu, ſymphiſin oſſium pubis ſeſe remittere comperimus, nihilne affulgeat ſpei, eiusdem auxilio, artem foetui faciliores daturam exitus? Atque haec medendi ratio viſa iam tum ipſi fuit caeſareae ſectioni omnino praeferenda, ſi quo demum

modo

modo diſſecta poſſit ſymphiſis reſtitui. Quos animi ſui ſenſus poſtmodum 1ma Dec. an. 1768. regiae academiae chirurgorum commentario quodam propoſuit examinandos, additis vna precibus, vt rei experimentum primo in animalibus, dein ſiquidem ex ſententia ceſſiſſet, in muliere ſupplicio mortis addicta, cum bona excelſi regiminis venia, caperetur.

Verum diſplicuit tum quidem res haec, vt oppido exotica, multosque nacta aduerſarios, poſtremo reiecta fuit. Quem euentum cum Dnus LOVIS, ſecretarius academiae perpetuus, Dno CAMPERO *) perſcripſiſſet, voluit is in viuis animalibus idem experiri. Expertus eſt feliciter. Non multo poſt eadem operandi methodus ANDEGAVI pro gradu, denique & pro licentiatu Pariſiis diſputationi publicae ſubiiciebatur. Quae diſputatio adeo non infregit auctoris animum, vt iam inde ratum, fixumque habuerit, data quauis occaſione illius periculum facere. Aperuit id propoſiti D. ALPHONSO LE ROI **), qui primo

 mo

*) PETRVS CAMPER, profeſſeur honoraire en médecine, membre de pluſieurs académies, & député aux états de Friſe, à Franecker.

**) ALPHONSE-VINCENT-LOVIS-ANTOINE LE ROI, de Rouen, profeſſeur de l'art des accouchemens & des maladies des femmes. Seri-

mo quidem chimaeris adnumerauit, propriis tandem experimentis comprobatam ſua honeſtauit aſſenſione.

Anno 1771 1ma menſis Octobris optata dudum, ſed inopinanti ſeſe obtulit occaſio, cum eum mulier caſtrenſis, nomine *Souchot*, media nocte vocaret, inſtanti partui adſuturum. Noluit tamen ire ſolus, ſed comitem habuit D. ALPHONSVM LE ROI. Erat illa 39 annorum, 3 pedes & 8 digitos longa, figura deformi, tota rachitica, cacochymica, & facile irritabilis. Quarta iam vice mater, ſed emortui ſemper infantis, naturam ſibi inimicam conquerebatur, medico nunquam non adhibito eodem SIGAVLTIO. Nunquid igitur melius quintus polliceri partus? Profecto eam neque hac vice naturali modo exſolui potuiſſe, vel hiſtoria illius quarti, qui tribus prioribus fuit quam ſimillimus, abunde comprobat. Adeſſe tunc rogabantur 4 clinici & 8 chirurgi, quibus geminae acceſſerunt obſtetrices, cunctique diſcipuli magni LEVERETI. Horum omnium oculis, dum parturiens inſpicitur, patuit, coniugatam peluis duos fere pollices cum dimidio non excedere. Quam ob rem SI-

GAVL-

Scripſit 1772: *Recherches ſur les habillemens des femmes & des enfans*; & ann. 1776: *Pratique des accouch.* 1re partie.

GAVLTIVS ſectionem ſymphiſeos propoſuit, vnanimi tamen calculo reiectam. D. LEVERET ex manu oppido exili, quam infans primo exſeruit, totum fore perquam puſillum diuinans, ſpem fecerat, eum ſalua vita adhuc peruaſurum. Opponere quidem SIGAVLTIVS exitum infelicem trium praecedentium partuum, in quibus foetus, quantumuis exigui, nihilominus exanimes fuiſſent editi, ſed profecit nihil. Quare chirurgorum praeſentium quidam illico vertere infantem, pedesque foras educere. At enim caput adhaeſit pertinacius, eluſitque conatus maximos, ita, vt vita citius foetui, quam hic vtero ereptus fuerit. Poſtea manus admouere operi SIGAVLTIVS, SIGAVLTIO ſuccedere alius, qui infantem demum maxima vi auulſum in lucem protulit. Capite is erat valde oblongo, & extra modum informi; nec mediocris in parietali ſiniſtro cernebatur compreſſio. Quo triſti ſpectaculo conuictus D. LEVERET aſſenſit, mulierem hanc nunquam poſthac naturalem habituram partum, nec aliud ſuppetere remedium, quam ſectionem caeſaream. Forcipem, SIGAVLTIVS addit, ſine dubio ante omnia ſuaſiſſet clar. LEVERET, qui eius vſum perfecerat, ſiquidem iudicaſſet vtilem. Redeamus nunc, vnde abducta fuit narratio; ad partum ſcilicet quintum!

Clar. SIGAVLT, certus, eum prioribus nihilo felicius ceſſurum, nullus porro dubitauit, meditatam diu ſymphiſeos ſectionem experiri. Perfecit autem hac ratione, vocato prius in auxilium ALPHONSO LE ROI. Paulo ſupra locum pudendorum incidit cutim, & celluloſam usque ad commiſſuram labiorum maiorum; quae inciſio vix aliquo ſtetit dolore, pertigitque ad ipſam omnis ſenſus expertem ſymphiſim. Tum per muſculos pyramidales, albamque lineam in caua abdominis penetrans, indicem ſiniſtrae eo inſertum interiori ſymphiſeos ſuperficiei applicuit, moxque perſectis ligamentis atque cartilagine interoſſea hiatum patefecit duorum pollicum, & dimidii. Nec mora, vterum ipſum ingreſſus, diſruptis velamentis, infantem pedibus apprehendit protrahitque: quod partui ſupererat, D. ALPH. LE ROI dexteritate non minori, quam celeritate perfecit. Iam vero geometrice demonſtrare contendit auctor, infantis vitam beneficio huius ſectionis plane deberi. Quippe tranſuerſa capitis diameter ab vno extremo parietalis vſque ad alterum ducta, tres omnino aequabat pollices, & dimidium. Cum vero peluis ſolum duos & dimidium conficeret, tantum ſpatii incrementum illa adiectum fuiſſe, ita manifeſtum putat, vt oculis iudicari poſſet. Attamen varias affert rationes, quod non omnia

pror-

prorſus ex animi ſententia ſucceſſerint; primo defectum inſtrumentorum, cum mulierem eſſe grauidam non ante haberet compertum; tum morbum, quo ſua etiamnum affecta fuiſſet valetudo; denique totam operationem, ope rectilinei cultelli ad tremulum lumen vnius candelae, eiusque breuiſſimae ſubito peractam a ſe & quaſi lucubratam. Praeterea ingenue fatetur, ſe, quamuis collegam haberet ſocium, expauiſſe vehementius, & propterea in ipſa ſectione a recta linea ad laeuam pauliſper aberraſſe: imo vrethram fuiſſe laeſam, eo quod cultellus in aciem deſineret. Nihilominus non longiori ſpatio, quam quinque minutorum, res omnis fuit ad finem perducta, poſt quae vulnus primo obligari caeptum, diſſectaque pubis oſſa, mantili coxis circumuoluto, rurſus coire ſunt iuſſa. Vnum, quod operationi detrahere videbatur, fuit, incontinentia vrinae, quae tamen ipſa ſenſim imminuta, demum fere tota euanuit. Diarium curationis eo vſque perſequi non grauatus eſt SIGAVLTIVS, dum morbus ingraueſcens D^no^ ALPH. LE ROI eam prouinciam cedere vel inuitum compulit. Cetera explicabunt teſtimonia DD. Commiſſariorum.

Teſtimonia DD. Commiſſariorum.

Tertium hiſtoriae caput agit de iis, quae DD. commiſſarii ſiue viderunt, ſiue iudicarunt.

runt. Nos vt promiſimus, breui omnia dabimus compendio. Cum itaque peritiſſimi viri, quos inclyta facultas eo delegauerat, 2da Octobris ad foeminam *Souchot* perueniſſent, haec fuere in comperto: 1mo ſectionem ſupra locum pudendorum uſque ad commiſſuram labiorum maiorum eſſe factam, eamque laeuam verſus ad vaginam vteri productam: 2do ſiniſtrum clitoridis crus, partem minoris labii, nec non orificium vrethrae vulnus ab ea accepiſſe: 3tio ipſam vero ſymphiſin omnino eſſe diſſectam, ita quidem, vt vtrique pubis oſſi leui brachio index poſſet inſeri: 4to in fundo vulneris celluloſam veſicae translucere albam; vulnus ipſum mundum, & rubei coloris, nullum mulieri ciere dolorem: 5to vaginam vteri prorſus illaeſam, praeterquam quod paruum proderet prolapſum, eumque non nouum, quippe tertii iam partus reliquias: 6to humore quodam lectum permaduiſſe, quem tamen ipſi pro lochiis haberent; cetera puerperam hilarem, nulla febri afflictam, proprium lactaſſe infantem; verbo, quanta quanta ſit, valuiſſe. *Tertio die* vulnus aegreſcere, nec puerperae niſi ſupinae in lecto decumbere licuit; quin hoc ipſo in ſitu genua coniungi non ſuſtinebant ſine maximo doloris ſenſu. *Quarto die* interuallum oſſium pubis viſum eſt anguſtius. At *dies ſextus* nouos attulit dolores & lumbis &

lae-

laeuae coxendici, & femori. Decuſſatis iacebat illa pedibus, quos porrigere cum velles, multa ſe pati conquerebatur. Adſcribebant id primo violentae extenſioni commiſſurae, quae os ilium cum oſſe ſacro coniungit; ſed inſtituto accuratiori examine, iſchiadem dicere placuit: qui tamen dolor, quod non negarunt, toto curationis tempore modo acrior recruduit, modo remiſſior factus varias ſubiit vices, imo ipſi curationi fuit aliquanto ſuperſtes. *Die duodecimo* dolere vulnus caepit, vt nunquam magis; quin etiam perſtitit fluxus humoris copioſiſſimus. *Quarto decimo die* explorata vagina intellexerunt gemina pubis oſſa nullo porro disiungi loco, materia iam valde ſolida hiatus explente. *Die decimo ſexto* vulnere ſuperius inſpecto, viderunt, ſymphiſim penitus coaluiſſe. Inde humor fluere parcius, ſimulque maior cibi appetentia conſequi. *Decimo octavo* ſymphiſis illorum oculos omnino fugit, vtpote noua iam carne veſtita. *Decimo nono* coxendicem queſta eſt mulier acerbiori affici dolore: nullum tamen in loco vulneris ſenſit ſupina; quem corporis ſitum propriis viribus capere tunc poterat. Ceterum ſeptem iam ſolidos dies obligatura adhibita fuit remiſſior, eo quod iſchiaticos augere dolores videretur. *Die vigeſimo* tuſſis infeſtauit puerperam, & triduum integrum ſuccuſſit. Tum vero incredibilis humo-

rum

rum copia exundare, quam adhibita chemica analyſi vrinam eſſe cognouerunt. *Vigeſimo quarto* in tuſſis locum ſucceſſit febris, quam illa vehementiori animi commotioni imputabat. *Vigeſimo ſexto* tuſſis rediit, & 12 dies pertinax adhaeſit. Tantum autem prorumpere caepit humorum quaſi flumen, vt ſtratum omne penetraret. Symphiſis, denuo inſpecta, adhuc penitus & fere omni ex parte coniuncta apparuit. At mammam laeuae regionis nouus inuaſit dolor, quod lac ibi condenſatum conſiſteret, in poenam, vt putabant, omiſſae illa parte lactationis: ſecuta eſt inflammatio & ſuppuratio, donec *trigeſimo tertio die* diſrupta cute pus exiit. *Vigeſimo octauo die* largius rurſum fluxit humor, ita, vt matula, 2. menſurarum capax, eodem redundaret. *Vigeſimo nono* cum mulier ſine vllo doloris ſenſu in omnem verſare ſe partem poſſet, cenſuerunt DD. Commiſſarii, curationem ſymphiſeos eſſe demum abſolutam. Quare altero poſt die obligari deſiit vulneris locus. Obligatura autem vſi fuerant ſimpliciſſima; vino aduſto, & oui albumine tinctum carptum applicuerant, aliquot balſami ſtillis non niſi quandoque vulneri infuſis. *Trigeſimo tertio* vrina fluxit iniuſſa, frequenti ſcilicet tuſſi concitata vehementius. Eadem ex cauſa nauſea ciborum viſa eſt ingraueſcere. *Trigeſimo quinto* ſumtis duabus

vnciis

vnciis mannae aluum purgare placuit. *Trigeſimo ſeptimo* inſpecto operationis loco, patuit, orificium vrethrae laeſum, minora labia ſupernis commiſſuris adhuc disiuncta, imo crus ipſum clitoridis necdum coaluiſſe. *Trigeſimo octauo* tuſſis remittere, neque tanta vi vrina inuitae elabi. *Trigeſimo nono die* nutrix conducta infanti, quod eius ſalus in periculo verſari crederetur; mammae euacuatae, lac cum aluo deiectum. *Quadrageſimo ſexto* cerulam cauam indiderunt vrethrae, quo citius vulnus coiret. Dein conſurgere iuſſae coxendicem ſingulari faſcia conſtringunt, hortanturque, vt a lecto ad caminum vſque progrederetur; quod haud aegre praeſtitit, & ſine vllo doloris ſenſu. *Quadrageſimo ſeptimo & octauo* eisdem cincta faſciis nunquam decubuit. A *die* vero *quadrageſimo nono* ad vſque *ſexageſimum* baculo innixa, quandoque etiam omni deſtituta fulcro libere inceſſit, ſolam iſchiadem incuſans, qua adhuc prohiberetur more antiquo ambulare.

Hucuſque diarium, ex quo quid DD. Commiſſarii intulerint, nunc iuuat intelligere. Ea omnia, quae puerperae toto curationis tempore acciderunt, ad tria redigentes capita, iſchiadem ſcilicet, inflammationem laeuae mammae, & vrinae incontinentiam, primum quidem lacti reſorpto tribuebant, alterum neglectae, vt ſaepe fit, vtroque in pectore la-

ctatio-

ſtationi; at tertium ab operatione profectum exiſtimarunt, quamuis etiam ſine illa difficiles conſequi partus non raro ſoleret. Quibus ſtatutis nouam hanc operandi methodum declarant innocuam; cumque non modo nullum afferat periculum, neque vehementes teſte puerpera dolores, ſed & opere ipſo, quod affirmet clar. SIGAVLTIVS, leui brachio poſſit perfici, eandem ſectioni caeſareae cum permultis in caſibus, tum in illo praeſertim, quo foetui naturalis adhuc pateſcat exitus, longe praeferendam iudicarunt. Quare Facultas, vt viros tam bene de republica meritos, DD. SIGAVLT & LE ROI, apprime commendatos haberet, etiam atque etiam fuit rogata. Quid tantae commendationi addi potuit praeclarius?

Habes iam, lector beneuole, quaſi in nuce iliadem, & ſumma quaeque breui perſtricta calamo, quae quidem medica Facultas Pariſienſis peruulgata, & toti eruditorum orbi eum procul dubio in finem teſtata eſſe voluit, vt nouum SIGAVLTII inuentum vbique gentium non tam admirationem excitaret, quam imitationem. Quae ſane eadem mens exſtimulauit me vehementer, vt qui arti obſtetriciae operam nauare impenſius ſtatui, hanc praeclaram diſcendi occaſionem haud praetermitterem. At enim cum ſcientiis humanis

neu-

neutiquam caeca fides, ſed rationis imperium, nulla magiſtrorum quorumuis auctoritas, ſed integra dominetur libertas, neminem ſpero fore, qui id antea ad examen vocari, mihi iure ſuccenſeat. Profecto neque nouum ſcaphandri genus quis temere induet, licet Pariſiis nuper inuentum, niſi id & indubiis phyſices argumentis & compluribus exemplis ſtabilitum intellexerit. Quare qui me Senatum ampliſſimum cenſoriae ſeueritatis nota inurere velle dixerit magnisue inclareſcere inimicitiis, nae is vel inſcitiae reum ſe faciet, vel inuidiae. Optime norunt iidem clariſſimi viri, quod vetus fert prouerbium, *in neceſſariis tenendam vnitatem, in dubiis libertatem, in omnibus caritatem.* Quorum ſiue omnium, ſiue aliquorum auctoritatem famamque vt eleuare audeam, longe abſit a me, qui nunquam cum homine ſoleo, ſed cum cauſa diſſidere. Sed videt haec, qui aliquid demum; ſponte quem iuuat caecutire, nec collyrio huic opus eſt. Omnis lucubratio mea tribus circumſcripta eſt paragraphis. Initium facit indicatio operationi praeuia: tum ipſa ſequitur operatio: tertio expendendum loco venit id omne, quod tam vulnus inflictum comitari, quam perſanatum poteſt conſequi.

Antequam vero de ſumma rei dicere ingrediar, fas mihi ſit primo in limine non nul-

las in SIGAVLTII commentarios proferre animaduerſiones.

Animaduerſiones
in commentarios Dni SIGAVLT.

Principio clar. SIGAVLT ſectionem caeſaream nigerrimo notat carbone: contra, quae ipſum ſortita eſt patrem & aliquando fortaſſe Sigaultiana dicetur, tot apparet fucata pigmentis, tot exornata floſculis, vt, ſi vtramque imaginem e regione ſtatuas, non modo profani quique, ſed & multi apollineae artis antiſtites, qui res per tranſennam aſpicere ſolent, illam diris deuouere omnibus, hanc ſummis mactare honoribus pium iuſtumque duxerint. In quo mihi quidem minus ſapienter egiſſe videtur, cum aduerſarii iisdem offuciis & verborum praeſtigiis abuti, iisdem illum debellare armis nullo negotio poſſint. Age enim quotusquisque omnium, qui vbique ſunt, medicorum ignorat, ſectionem caeſaream ſaepenumero nec infelici aliquando euentu fuiſſe inſtitutam. * Quis adeo rerum omnium rudis, vt neſciat, eam tunc temporis, quo oportuit, quoque SIGAVLTIVS ſuam periclitatus eſt methodum, a chirurgis non imperitis ſuſceptam

*) Vide *les mémoires de l'Académie royale de chirurgie*, tom. I & II.

ſceptam abſque vllo ceſſiſſe periculo? A chirurgis inquam? imo a mulieribus obſtetriciis, circumforaneis & homuncionibus e triuio, atque olim a fabro quodam ferrario, cuius dextram frequenti mallei vſu, non ſecus ac illam SIGAVLTII morbo, ancipiti chirurgiae operationi minus idoneam eſſe redditam crederes. Vir hic *Vulcano* cuidam ſimilior, quam ÆSCVLAPIO, coniugis ſuae ſalutem, quinquies conclamatam, quinquies defendit, reſtituit, conſeruauit. Quibus vero auxiliis? Illo diuino munere, vnico artis beneficio, ſupremo parturientium perfugio, ſectione caeſarea. Eat nunc SIGAVLTIVS, exaggeretque verbis ſesquipedalibus impedimenta, difficultates, pericula, quae vel inſipidae betae manduco ſuperauit. Opponat ſane tot experimentis ſuum illud vnicum, & ex reditu vnius hirundinis ver proximum vaticinetur! At enim ſuperſunt multo grauiora. Quicunque vel aliqua parte pectoris ſapis, nunc animum refer ſis ad veritatem, & conſidera, eam oſſium compagem, quam peluim vocant, eſſe totius humani aedificii quaſi baſin & fundamentum. Proh! quae, & quanta illius diſſectionem conſequi mala oportet? Eadem profecto, quae violato ſtirpe florentiſſima ſubit arbor; quae perforata nauis carina tam hominibus, quam mercibus minitantur; quae diſiecto aggere vehementior in-

ſert fluuii exundatio. ---- Hem! quantum rhetoricae figurae vtramque in partem valeant, ſiquidem verbis phaleratis, aut troporum fuco indigeret veritas.

Inſolens aeque ac gynaeceo gallico parum honorifica eſt SIGAVLTII aſſertio, vitio peluis foemineae patriam ſuam in dies innumeris orbari ciuibus; perinde ac ſi perſuadere nobis vellet, ſub ſtolis illis elegantibus informes plerumque latere coxendices, & mulieres formoſas ſuperne turpiter in vitium deſinere. Iniuriam non ferendam, quam omnes liligerae nymphae impactis fortiter flabellis caſtigent!

Attamen nolim ego repugnare clar. viro, qui adeo ingenue patriae labem fatetur: nec enim illam Galliae regionem inſpicere mihi licuit vnquam, & ipſi forte haec ſcribenti ante oculos verſabantur teſtimonia obſtetricum ex ſingulis regni prouinciis. Id vnum moneo, & quantumuis barbarus, rogo obteſtorque, ne periculum ſectionis ſigaultinae fiat oppido commune, vt cauſae compreſſionis peluium breui indagentur, propoſitis etiam proemiis media magis idonea conſcribantur, tantaque peſtis quam citiſſime toto eliminetur imperio. Mali enim genus eſt eius modi, quod maxime patriae Aeſculapios excitare, atque inflammare debet: in quo agitur gynaecei gallici gloria, quae ipſi a maioribus cum magna in re-

bus

bus omnibus, tum ſumma in eximia pulcritudine tradita eſt: agitur ſalus liberorum, pro qua multa parentes magna & grauia tam pati, quam gerere non dubitant: agitur opificum robur & flos militiae, quibus amiſſis & pacis ornamenta & ſubſidia belli requirentur: agitur innumerabilis ciuium propago, cui eſt & a medicis & a moderatoribus reipublicae imprimis conſulendum.

Sed ohe iam ſatis parodiarum!

Oculos in ſe meos nunc rapit frequentiſſimum quarti partus ſpectaculum, ad quod adductum fuit ingens doctorum vtriusque ſubſellii agmen, & quidem peſſime! Namque quid fit, quoties conſilia medica celebrari videmus? Nonne pene toties verum fit prouerbium, *quot capita, tot eſſe ſenſus?* Quare quantopere obſtupui hominum frequentia, tam parum mirari ſubiit, SIGAVLTIVM id, quod voluerat, haud obtinuiſſe. Et vero temerarius in eo fuit, quod cum D. LEVRETIO, artis obſtetriciae noſtra aetate principe, diſceptare eſt auſus. Euentus ſane docuit, illum vera praedixiſſe, ſcilicet infantis corpuſculum ita fore gracile, vt ei adhuc permeandi detur locus.

Illud vero humanam ſuperat fidem, ſex omnino chirurgos, quorum ſaltem aliqui athletice valuerint, omnibus opibus viribusque profeciſſe admodum nihil. Veneficiis pene,

ſi qua demum dentur, adſcribere fert animus, quod truncus non fuerit auulſus de capite; cui rei certe vel vnius viri lacerti ſuffecerant, ſiquidem, quod ait SIGAVLTIVS, ſola agebatur auulſio. Eccur nullus forcipis fuit vſus, quem tamen tunc valere, quando truncum iam enatum, ipſum ſequi caput detrectat, effigie aeri inciſa pridem clar. SMELIE oſtendit? Liceat & hoc ſciſcitari; quid fuit cauſae, quod ad quintum partum vnus omnino comes ſit adhibitus? Foedera, noui ego, duos inter citius, quam cum pluribus ſtatuas: ſtatuta ſic perdurant longius. Hinc forte prior iuſſa eſt abeſſe celebritas, propulſata animorum diuiſio, amicitia pactis legibus ſucceſſit: duo tenent ſcenam, ſtrophamque ceteris inſciis parant. Itane oportuit epitaſim inſtruere, vt felicior exiret cataſtrophe? At vnus LE ROI ſuſtinere multos poteſt, vir in rebus obſtetriciis ſummo ſtudio, & intelligentia. Quis ait? SIGAVLTIUS. Negant auctores ſatis luculenti, qui vt illi ſummam tribuant laudem, tam longe abſunt, vt contrarium in ipſiusmet ſcriptis elucere afferant. *) Nimirum anteponendus is erat

*) Vide Lettre de M***, étudiant en chirurgie à Paris, à M***, maître en chirurgie & accoucheur à R*** en P***, ſur un nouvel ouvrage intitulé *la pratique des accouchemens.*

erat quam plurimis, cuius teſtimonio, nouae inuentionis gloria, omnibus cupiebat praecellere: nulliusque rei ita ſumus prodigi, quam laudis, quae cum foenore redditur. Dicat haec aliquis Sigaultiano nomini infenſiſſimus, non ego! quamquam iſtud aduerſariorum telum ſapienter ſtuduit praeuertere, dum in noctis conticinium, variaque hiſtoriae adiuncta omnem coniicit culpam: in quo, vt mihi videtur, nihilo fuit felicior. Quis enim vel veriſimili ſimile putet eum, huic occaſioni aliquot iam annis intentum ac prope inhiantem, totum Souchotianae grauidationis tempus penitus ignorare potuiſſe? Sed eſto ſane! quae res tantopere vrſit SIGAVLTIVM, vt nulla neceſſitate compulſus, operationem nouam, ſuo in cerebro enatam, a grauiſſimis Academiae Patribus condemnatam, media de nocte, pene ſolus, & idoneis deſtitutus inſtrumentis non in bruto quodam animali, nec in humano cadauere, ſed in praegnante foemina cum ſummo geminae vitae periculo ſuſcipiendam exiſtimauerit? cur tanta opus feſtinatione, vt inſtrumenta illa oblonga, ſubrotunda, quae hanc in rem ſolerti procuſa animo Academiae pridem exhibuit,

A Amſterdam, & ſe trouve à Paris chez Clouſier, imprimeur-libraire rue Saint-Jacques &c. 1776.

Auctor verus creditur LEVRET.

buit, domo afferre non vacaret? vt nulli praeterea vocarentur chirurgi, qui ſectionem aggredienti facem ſaltem manu non tremula praeferrent? Enimuero ita praepropere, neceſſitate nulla, & quaſi in tenebris tam periculoſum moliri opus, nihil habet laudis, nihil commendationis. Neque valde miror, quod adeo imparatus, ſub ipſa ſectione, caeperit trepidare. Quid autem? trepidare chirurgus, cuius dextera, multo confirmata vſu, & ferro dominetur & igni? Infauſtum puerperii nuncium! nimis heu! nimis imprudentem offendit.

Abſoluta tandem ſectione cum infantis pedes iam iamque protraxiſſet, cur repente incepto deſiſtere, & reliquum D^no^ collegae, qui iners hucuſque fuit ſpectator, omnino committere euellendum? Scilicet quem viae habuit ſocium, voluit & gloriae participem. Non ſane inuideo. Ingens quippe in eo gloriae meſſis, quod magiſtri diſcipulorum quemque edocent. Quam viri dexteritatem cum praedicat SIGAVLTIVS, neſcio, an non potius modeſtus voluerit videri, partem aliquam ſuae laudis in eum deriuando, qui nullam inde poterat admittere. Finge admiſiſſe; AEDEPOL! ridiculum hominem, nec illi diſſimilem aedituo, qui cum organi modulatorem laudibus in coelum ferri audiret, ſibimet applaudens, ſic eſt,

in-

inquiebat; namque ego folles calcando animaui!

Leuia ſunt haec, ſateor, & fere in ſuperficie ſita. Nunc in arcem cauſae penetrandum. Ergo infantem hunc vitae iacturam non minus fuiſſe facturum, atque quatuor ſuperiores, niſi beneficium ſectionis ſymphiſeos acceſſiſſet, ex eo manifeſtum autumat SIGAVLTIVS, quod illius caput ab vno extremo oſſium parietalium vsque ad alterum pollices tres & dimidium exaequarit, peluis autem in coniugata duos tantum cum dimidio. Argumentum grauiſſimum, inuictum, achilleum, quo ſectionis huius omnis ſtat caditue neceſſitas! quod tamen neque vidit LEVRETIVS, dum ſectionem caeſaream obtruſit, nec ceteri quarti partus oculati teſtes admittendum cenſuerunt. Explorandum igitur ſollicite, numquo modo infringi valeat ac ſuperari. Nemo negauerit, oſſa parietalia poſſe leui opera, & ſalua vita, pollicem integrum conuolui, ſolamque cranii baſim immotam eſſe conſeruandam. Atqui haec in *Souchotiae* infantibus duos pollices & dimidium procul dubio exceſſit nunquam, cum ſecus nullo modo fieri potuiſſet, vt capite emergerent integro. Compreſſiones autem, quarum aliqua in quarti partus puero deprehenſa fuit, minime eſſe lethiferas, norunt omnes artis obſtetriciae non imperiti, cumprimis ve-

ro Bataui, apud quos, teſte KAMPERO, hodiedum in difficili partu, adeo vectis in vſu eſt. Quid igitur? peluis fuit iuſto anguſtior. Quanto? Pollice. Recte! ſed hunc ipſum, quo peluim excedebat caput, innoxia parietalium oſſium conuolutio potuit illi rurſum demere.

Io! fauet LVCINA: ſat amplus patet exitus: aequa dimenſione conueniunt peluis & cranii baſis, quae vna ſacra eſto & illaeſa. Quodſi porro vrgeas, cur nihilominus priores foetus editi fuerint exanimes? Hoc viderint illi, qui parturienti aderant. Etenim cum foetuum corpuſcula, teſte ipſo SIGAVLTIO ſemper fuerint perexigua, ſolas peluis anguſtias quis praetendat? Compreſſiones certe, illaeſa cranii baſi, nullam ſubito afferunt mortem. Videlicet innumeri fere ſunt modi, quibus vita teneris foetibus tam ante partum, quam ipſo in partu eripi poteſt ac ſolet. Ego quid ſentiam, paulo poſt dicam, cum de indicatione erit ſermo.

Tanto ſane operi glorioſa haud debuit deeſſe coronis. Quo cuncti intelligerent, operationem nouam omni carere noxa, perſuaſit SIGAVLTIVS puerperae, vt filiolo, quem denique viuum boni conceſſiſſent ſuperi, vbera praebere non grauaretur; quod ſi faceret, addidit, ſe illum ſacro de fonte leuaturum. In quo nimium fors religioſus, ſacra quodammodo

do profanis miſcuiſſe videtur, cetera validiſſimo vſus eloquentiae adminiculo. Tanta enim oblata partim honoris ſignificatione, partim lucri occaſione, quid porro reluctaretur mulier Caſtrenſis ac rerum omnium egentiſſima? Aſt mallem ego patrinum hunc pene crudelem dicere in vtrumque & in matrem & in filium. Qua enim, quaeſo, ratione hortari eam licuit, vt prolem lactaret puerpera, omnino rachitica, cacochymica, & quod maius eſt, etiam recenti debilitata vulnere, quod niſi periculoſum, certe non leue dixeris; vulnere inquam, quod ſine ſuppuratione, proin & inflammatione ac febri, perſanari haud vnquam potuit? Tantum audet, quisquis ardentius honori ſuo velificatur.

Hae fere ſunt animaduerſiones, quae mihi, SIGAVLTII commentarios perlegenti, facile occurrerunt, quasque ita, vt in mentem veniebant, ſed hinc inde acerbius forte, quam erat propoſitum, in chartam proieci. Ceterum nihil iam obſtat, quo minus ad indicationem mea ſeſe transferat oratio.

De Indicatione.

Quid nomine Indicationis intelligamus; non eſt neceſſe hoc loco praefari, cum perſpicuum pridem ſit omnibus, quibus aliqua ineſt artis cognitio. Neque enim animus nobis eſt, morem illorum imitari, qui exenterandis

notiſſimorum ſaepe vocabulorum etymologiis medicam grammaticam potius,quam ſcientiam oſtentant, & quo vtramque faciant paginam, ex eo ſcribendi initium ducunt, quod ipſis in diſcendo fuit primum. Diuinum igitur naturae magiſterium, quae non raro, imo etiam naturali in partu notabilem in pubis oſſibus disiunctionem patitur, eam SIGAVLTIO iniecit mentem, vt artificialem eorundem disiunctionem in partu praeternaturali tentandam cenſuerit. Quippe vbi deficit natura, artis auxilio eſt opus. Quo quidem argumento nihil ſolet ſplendidius eſſe, & ad decipiendos imperitorum animos aptius. Videndum autem ſollicite, quid & quatenus agat natura, ne inani ſpecie decepti in ipſam peccemus humani generis parentem. Quod ſane SIGAVLTII fuiſſe fatum videtur, dum ſimpliciter aſſeuerauit, ſectionem ſymphiſeos illi alteri caeſareae nunquam non fore praeferendam, dummodo certo conſtaret, diſſectas partes rurſum poſſe coaleſcere. Hanc vero dubitationem cum experimentum in *Souchotia* captum ſuſtuliſſet, parari ſibi quantocyus voluit triumphum, cuius tamen gloria poſtea non nihil imminuta eſt ſuffragiis D. D. Commiſſariorum, iudicantium, ſectionem hanc non quidem ſemper, ſed ſolum perſaepe, tum vero maxime, quando foetui naturalis adhuc pateat exitus, cae-

ſarea

ſarea videri ſuperiorem. Non igitur plane inter vtroſque conuenit, illo operationem praedicante omni exceptione maiorem, his limites, incertos licet, tamen aliquos ſtatuentibus, nec iniuria. Reuocate enim in memoriam, quandonam artis canones ſectionem caeſaream permittant: dein perpendite, quam ob cauſam illius locum ſectio ſymphiſeos poſſit ſubire? In eo autem plerique conſentiunt artis obſtetriciae doctores, ſectionem caeſaream nunquam eſſe ſuſcipiendam, praeterquam 1mo cum foetus in vtero non ſit euolutus; 2do ſi facta forte ruptura in interiora ventris peruaſerit; ac 3tio demum, ſi quando materna peluis, & caput infantis ita diſcrepent, vt poſterius illam nullo modo permeare valeat. Quodſi alias porro fuit adhibita, cuius rei exempla apud quosdam auctores extant, nulla certe id factum neceſſitate; quippe tollendis molliorum partium, e. g. orificii aut vaginae vitiis faciliora ſuperſunt remedia, id quod recenti admodum exemplo D. HENKELIVS Berolini demonſtrauit. Verum enimuero in primis duobus caſibus quid vtilitatis afferre queat ſectio ſymphiſeos, neque ego, nec quisquam alius intelligat. Hem! gemina rurſum prouincia erepta victori & ſectioni reſtituta caeſareae? Nunquid tertia dignos dabit triumphos? Ampla profecto & diues prouincia!

Lu-

Lutetias enim complectitur: quae vrbs florentiſſima compreſſis difformem in modum peluibus, teſte SIGAVLTIO, quanta quanta eſt, abundat. Hinc parum me commouit, D. D. Commiſſarios ſectioni ſymphiſeos tantam conceſſiſſe imperii amplitudinem! illud autem, miror, quod addiderint, tum eam valere maxime, quando foetui naturalis adhuc patet exitus. Quod capere non licet, diuinando conabor aſſequi. Tum videlicet, quando vitium oſſium non eſt ſolito grauius, partesque molliores omni labe carent.

Vnum itaque reſtat mali genus, quod ſectionem ſymphiſeos prae caeſarea deſideret, idque tum ſolum, cum magnitudine fuerit inſolita. Quanto eum in finem caput excedere peluim debeat, conſiderandum nunc eſt attentius. Quoniam omnes, vt ſupra dixi, perſpectum habent, totius capitis latitudinem poſſe leui parietalium oſſium conuolutione, quin ipſa cranii baſis moueatur, non parum contrahi, neceſſario inde conficitur, quod ad determinandam exceſſus quantitatem non omnis cranii peripheria, ſed baſis vnice ſit metienda; & proin, quod alterum eſt conſectarium, male egerit SIGAVLTIVS, cum loco interualli, quo tempora diſtant, illius oſſium parietalium rationem habuit. Raro autem accidet, vt talis menſura ſuperet duos pollices

cum

cum dimidio. Quamdiu igitur interuallum promontorii & ſymphiſeos, quod linea coniugata plerumque dicitur, non minus eſt $2\frac{1}{2}$ poll., foetus adhuc faciles habet exitus, vt ſane quatuor ſuperiores partus eiusdem Souchotiae manifeſtum fecerunt. Exanimes enim quod tunc prodierint foetus, non tam peluis anguſtiis, quam ingenti praeter morem difficultati parietalia comprimendi oſſa, tribuendum cenſeo; quamquam & haec auxilio forcipis, qualem SMELIESII tabula exhibet, ſuperari facile potuiſſet, ita vt in tuto collocata ſtetiſſet illorum omnium ſalus. Ex quo perſpicuum fieri exiſtimo, coniugatam oportere $2\frac{1}{2}$ poll. eſſe anguſtiorem, ſiue velis ſectionem ſymphiſeos ſiue caeſaream ſuſcipere. Reſtat, vt indagemus, ad priorem illam admittendam quantum eidem deficere debeat. Antequam id ſtatui poſſit, inquirendum eſt cumprimis, quouſque pubis oſſa valeant disiungi, quin pariter commiſſurae ilei cum oſſe ſacro rumpantur. Ecquid ait SIGAVLTIVS? omnino duos pollices & dimidium. At enim, vt mihi quidem videtur, nequit tanta fieri disiunctio, ſaluis etiamnum commiſſuris poſterioribus. Cuius rei vadem habes celeb. Dum HERRETIER, Noſocomii Diuini Pariſienſis chirurgum. Vir hic indubiis edoctus experimentis, quae in cadaueribus mulierum, vel in puerperio vel paulo poſt ex-

tincta-

tinctarum, in oculis complurium obſtetriciae artis peritiſſimorum inſtituit, nunquam maiorem ſeptem octoue lineis hiatum potuit deprehendere. Itane vero in cadaueribus? perinde ac ſi nihil diſcriminis viuum intercederet atque animae expers corpus. Praeuertit & hoc aduerſariorum telum; ſed quid inde mali ſibi metueret, cum profecto toni vitalis, qui mollibus ſolum partibus conuenit, nulla hac in re habenda ſit ratio? Neque his tamen contentus, experimenta eadem, data occaſione, & ipſe repetiit, & ab aliis ſpectatae dexteritatis quam ſolertiſſime repeti vidit. Vidit, intulitque ſeparatione oſſium pubis ne vnum quidem, aut quod ſummum, ſesqui pòllicem aſſequi ſe poſſe, quin anteriora vincula commiſſurarum, quae os ſacrum cum innominatis deuinciunt, vehementius diducta, in extremo fiſſionis verſentur periculo.

Ne vero HERRETIERIO omnia, SIGAULTIO nihil tribuere videamur, mediam teneamus viam, demusque, quod neutro valde inuito fiet, eam disiunctionem duorum adeo pollicum eſſe prorſus innoxiam. Quid inde lucri accedet coniugatae? quae nova capiet incrementa? quanto evadet longior? Equidem idem affirmat HERETIERIVS, eo oſſium pubis interuallo, quod ſemi-pollicem adaequet, coniugatam vix aliquot creſcere lineolis. Quod veri-

veritati quam maxime eſſe conſentaneum, inſtitutis ſumma diligentia experimentis ipſe comperi; quippe disiunctio duorum pollicum facta non omnino octo lineis coniugatam auxerat. Quodſi igitur duos illa non impleat pollices, ſectio ſymphiſeos nullius erit vſus, vtpote impotens tantum protendere ſpatium, ſcil. 2½ poll., quod vel maxime exili foetus capiti ſit ſatis. Quando autem locum habeat, animaduertendum neceſſario, compreſſionem peluis in coniugata oportere minorem eſſe duobus & dimidio poll., neutiquam vero infra duos pollices. Etenim primo in caſu ſuperuacanea foret ſectio ſymphiſeos, quod tunc extrahendo capiti forceps ſufficiat: in altero prorſus inutilis, cum nihilominus hac ratione requiſita ſpatii ampliatio impetrari haud poſſit.

Iam vero ſi haec omnia ita ſe habent, vt dixi, & ni omnia me fallunt, ſolidis innituntur argumentis, quotusquisque dari poterit caſus, qui ſymphiſeos ſectionem prae caeſarea admittat? Puto ego, illum eſſe rariſſimum. Aſt ſuperſunt quamplurima, quae vel tunc animum meum tenent ſuſpenſum, ita vt quaſi ſacrum inter & ſaxum omnis ſtet deliberatio, vtra demum in re tam ancipiti ſit alteri praeferenda. Quaecunque autem ſint, ad duo capita reuocare ea iuuat. Primo certum eſt & cuique manifeſtum, ſectionem ſiue caeſaream

ream ſiue ſymphiſeos non unquam recte adhiberi, niſi ſpes affulgeat, eaque ſane probabilis, ſalutem tam matris, quam infantis illius ope incolumem conſeruandi. Secundo, ſi qua tandem ſuſcipienda ſit ſectio, quam mallem ego prae altera? quaenam malum cenſeri debet maius: quae minus, ac proin potius ſubeundum? Singula quam fieri poteſt breuiſſime, ſed nihilo ſegnius expendamus. Atque primum quidem quod mihi metum iniicit ſingularem, eſt fatalis quaedam incertitudo, quando ſectio quaecunque locum habere poſſit. Vt enim inſigniter ſtultum nemo non dixerit, qui vt emortuam denique prolem extrahat, viuam diſſecare matrem haud vereretur: ita ſane accidere ſaepenumero experimur, vt incerti fluctuentur animi, numquid vitae ſuperſit foetui, nec ne; ac tum maxime, cum ipſius caput inclauatum eſſe contigerit. Qua incertitudine nihil videtur certius, ſi ambigua de morte foetus indicia conſideremus, quae celeb. BOERHAVE, in libro de cognoſcendis & curandis morbis, deſcripſit *), & complures hucuſque in legibus ſanctiſſimis habuerunt. Quan-

*) §. 1318. Mortuus cognoſcetur, ſi immobilis, ſi arteriae vmbilicales ſentiuntur in funiculo vmbilicali quieſcere, maxime prope corpus infantis; ſi foetula exeunt; ſi pondus ingens; ſi

Quantumuis enim, ait magnus ille apud Batauos CAMPERVS, praeclara ſit ſingulorum enarratio, accedente tamen capitis inclauatione, vix vnum omnium valere comperimus. Solet enim illud quandoque in tantas redigi anguſtias, quae vel digitum inſerere prohibeant. Adde, cutim verticis non nunquam ita intumeſcere, vt nullum cranii oſſiculum ſub tactum cadat. Quid tam lubrica in arena conſilii? Comminuto in partes capite, matris quidem ſalus erit in tuto. Verum quo animi dolore cruciabitur chirurgus, & humanitatis & religionis amans, ſi poſtmodum intelligat, foetum eo tempore, quo adeo crudelis in ſpeciem medicina eſt facta, vitam etiamnum ac ſpiritum duxiſſe? an in eo acquieſcet tranquillus, quod non niſi ſumma neceſſitas, ad ſalutem vnius tandem eiusque dignioris ab interitu vindicandam, tam atrox carnificinae genus vel inuito obtruſerit? Ain'uero? quae perſona ſit altera dignior, quibus comprobabit ille rationibus? Miſerum profecto funeſtumque viri fatum, cui curae ſit, ſeueras reprehenſiones effugere illorum, qui conſilia

ſi laborat teneſmo, ſi ſyncope, horribilatione, halitu graueolente, colore liuido; ſi diu elapſis aquis nondum peperit; ſi epidermis prompte a cute ſecedit; ſi cutis foetus flaccida, facile ſeparanda; oſſa mollia & mobilia.

euentis ponderare praepoſtere conſueuerunt! Quod adeat tribunal? Quis iudex? Laicus? an eccleſiaſticus? niſi forte praeſtat, in re ſummi momenti perpetuum agere ſcepticum, & quo caecus ſert impetus, incerta figere veſtigia. Primum qui petit arbitrum, BOERHAVIVM conſulat §. 1309. de curand. & cognoſcendis morbis: vbi ait, " melius eſt perire, vel aliter periturum, foetum, ſalua „ matre, quam perire certo vtrosque. „ Conſulat HEISTERVM, qui in opere chirurgico T. II. p. 25. eandem tulit ſententiam. " Abſonum eſt, inquit, atque a prudente medico aut chirurgo vix exſpectandum, vt periculoſam ſectionem caeſaream in matre viua ſuadeat, aut inſtituat, ſi per vaginam foetus, licet etiam per fruſta, extrahi queat. „ Lis oritur, vtrum foetus ſeruandi gratia mater ſectione caeſarea ſit incidenda, aut is „ potius ferramentis extrahi debeat. Tunc „ matri potius, tanquam arbori, parcendum, „ foetumque, tanquam ramum, quacumque „ ratione, licet etiam forte adhuc viuat, quidquid nonnulli contradicant, extrahendum „ eſſe cenſeo. „ Neminem ſpero fore, qui celeb. BOERHAVII ſiue integritatem, ſiue theologicam, qua inter ſuos non parum claruit, ſcientiam adducere in controuerſiam audeat. Quod enim diuinae legi manifeſte aduerſatur,

tan-

tantus ſane vir nunquam tueri palam ſuſtinuiſſet, ne dicam ſcripto etiam poſteris relinquere, perpetuum impietatis aut ignorantiae monumentum. Hos igitur ſequi qui volet, quorum iudicio hac in re omnino eſt ſtandum, faciet rectiſſime, ſi, ut matrem ſeruet, caput infantis comminuere non vereatur. Quod & CAMPERVS feciſſe ſe animo minime aegro fatetur; quod in argentinenſi artis obſtetriciae ſchola, quam totius Europae facile principem dixeris, Doctor peritiſſimus idemque celeberrimus Dnus OSTERTAG, euentu puerperae ſuffragante, in opus deduxit, vt ſcribit eiusdem diſcipulus, D. Franc. Anton. Mair, in diſſert. inaugurali 20. Sept. 1777. habita. Abſit quidem, vt inficias eam, ſectione caeſarea non ſemper vitam puerperae eripi; quomodo enim tot exemplorum auctoritatem infringere fas ſit, quin omnis hiſtorica fides vna concidat? Dabo & hoc ſectioni ſymphiſeos, licet heri natae ac proin certis necdum ſtabilitae experimentis; at enim cum nihilominus vtraque ſectio eo non deſinat anceps eſſe, ac plena periculi, quis hoc iuris conceſſit nobis, vt quantumuis ſit timendum, imo quam maxime veriſimile, mortem illa foetui accelerari, matrem ipſam tantis tormentis ac praeſentiſſimo vitae diſcrimini obiiciamus?

Non ſunt praetereundi hoc loco ſacri iudices, qui tamen inconſultu medicorum iuſtam neſciunt ferre ſententiam. Sed audiantur ſane, ne id committere videamur, vnde ingens nonnunquam conflari ſolet inuidia. Anni abhinc numerantur fere triginta & nouem, cum theologica vniuerſitatis Pariſienſis Facultas, celeberrimum Galliarum oraculum, propoſita ſolenni quaeſtione, ſi vita vel matris vel prolis ſolius caeſarea poſſit ſectione defendi, vtra demum ſit praeferenda? haec reſponſa dedit ſicque ora reſoluit: Ius ratumque eſſe, matri poſthaberi ſobolem; quamuis charitas, quae miſerationi ſit coniuncta, requirere videatur, vt illa ſalutem alterius ſua ducat potiorem. Porro foetui non iniuria etiam certam inferri mortem, vtpote aggreſſori ſuae parentis, quae vitae poſſeſſione eſſet prior. Ceterum opere ipſo vnius iuſtitiae rationem eſſe habendam. Cenſuit itaque facultas profundiſſima, ſectionem caeſaream non recte inſtitui, niſi ſpes adſit vtramque & matrem & prolem conſeruandi, praeſtareque foetum enecari, quam ut puerpera in ſummum adducatur diſcrimen. Atque hanc ſacri tribunalis ſententiam iam dudum antea & in profano valuiſſe foro, ex quaeſtionibus medico-legalibus celeb. ZACHII intelligimus. Verum enimuero nimis heu procul a portu omnis adhuc fluctuat quaeſtio, cum

illud

illud tam Theologorum, quam Iuriſconſultorum effatum iis vnice nitatur indiciis, quae de vita ſobolis ſtatuere, quorum tandem, niſi peritiſſimorum artis obſtetriciae doctorum eſt? Atqui de vita foetus, quod ſupra demonſtratum, nulla ſunt certa & indubia, nulla adeo ratione matris, quae felicem ſpondeant ſectionis euentum. Quid igitur certi ſtatuas? Nihil. Quid agendum? quod cuique videbitur. Mea quid mihi ſcientia ſuadeat, quidue praecipiat conſcientia, noui ego; non item, quantum aliis per eandem liceat. Vin' autem mentem meam explicem clarius? Profanis repono illud TERENTII: ſuus cuique mos eſt; Theologis: vnusquisque abundat in ſenſu ſuo. Quin accedo poſterioribus, quoniam id amplecti ſtat fixum, quod mihi modo eſt probabilius. Ecquid tandem? Nullo committam tempore, vt cadaueris extrahendi gratia puerpera periculo ſubiiciatur ſectionis caeſareae aut ſymphiſeos, (quod Archiatro Wirceburgenſi D. SEYBOLDO nuper accidiſſe, nouellae Francofurtenſes Nro. 32. referunt). Namque periculum matris quod attinet, ambae ſectiones ſunt ſibi ſimillimae, modo huic, modo foetui, prout varia accedunt, magis minusque pernicioſae. Quod hisce affirmaui, ea, quae ſequuntur, plane confirmabunt.

Alterum, in quo magna ineſt dubitatio, ſpectat vtriusque ſectionis praerogatiuam. Siqua enim ad tuendam rempublicam aut obtinendum ingens emolumentum conſenſu puerperae, nec inuitis ceteris, quorum intereſt, omnino ſit inſtituenda, vtra vtri palmam praeripere debeat, deliberatione opus eſt & conſilio. Nec enim perinde id eſſe, iam antea fuit declaratum, cum ſymphiſeos ſectionem, ſi coniugata ſit minor 2. pollic., ſpem noſtram fruſtrari oſtendi, ſin maior $2\frac{1}{2}$. pollic., eam nulla adhiberi neceſſitate. Ponendum itaque, coniugatam duobus pollicibus non eſſe minorem, nec duobus & dimidio maiorem. Profecto longitudinem, quae dimidio pollici ſit par, admodum exiguam, quam peraegre ſola aſſequaris coniectura! Accedit, hoc item in caſu caput infantis oportere eſſe non nimis magnum, quod certo velle cognoſcere adhuc multo eſt operoſius, atque tum praeſertim, cum illud prius fuerit ingreſſum. Quare iam ipſa haec incertitudo, an talis ſectio futura ſit efficax, facit, vt caeſaream ſectionem eligendam cenſeam, quam, ſi me forte praecepta falleret dimenſio, poſtliminio in auxilium vocari nihilominus foret neceſſe. Aut quid tandem huic animi mei propoſito poſſit obſtare?

Sed negat SIGAVLTIVS, ſectionem ſymphiſeos eſſe illi crudelitate parem: negat tantos

tos puerperae afferre dolores, multo minus periculi; quin a quouis fere chirurgo longe facilius in opus deduci poſſe contendit. Itane vero crudelis vocanda eſt ſectio, quae artis legibus conſentanea finem ſectatur honeſtiſſimum? Tropus ſane audax, a tyrannis & latronibus translatus in chirurgos optimos, reſtauratores valetudinis, ſalutis conſeruatores! Vae tibi! cultro ingenti armata ſtrix aduolabit breui; & quid tum illa? ventrem diſſecare, viſcera nudare, ferro in abdita quaeque graſſari; heu terribilem rem! haec per me irata mater puero minitetur nimis immorigero! At crudelem, inquiet, vocaui, quia magnos inurit dolores. Sit ita; illa ſymphiſeos non minus inurit. Quid enim? aperitur venter, diuiduntur oſſa pubis. Sectione caeſarea quid? aperitur venter, penetratur in vterum. Ergo vtraque per cutem ducenda, vtraque dolores excitabit haud ſane leues, eo fors ſolo diſcrimine, quod haec videatur paulo acerbiores, quatenus vulnus in cute prolatat magis, vterumque valde ſenſiferum perſecat. Quae tamen ſenſatio cum illi alteri, quae laeſae ineſt cuti, minime ſit par; eiusdem autem cutis ſectio etiam longior quam breuiſſimo tempore ab exercito quouis chirurgo fieri poſſit: profecto ratione doloris nihil prope diſcriminis intercedere exiſtimo, neque iam alius rei ſupereſſe, quam periculi compa-

rationem. Non recuſo. Ecce autem tibi! Vtrimque aperiendo ventrem, vulnus infligitur ad cauitates uſque productum: quod vulnerum genus non adeo eſſe periculoſum, exemplis conſtat pene innumerabilibus. Illic ſymphiſis inciditur; hic vterus. Alteri experimentum fauet prope vnum vnicum; poſteriori, ſi puerpera bene, ſi in modum *Souchotiae* valeat, facile centena. Vnde igitur maius illud ſectionis caeſareae periculum? a difficultate operationis? Hanc proximus expendet paragraphus.

Operatio.

Reuocemus ante omnia in mentem, qualem ipſe SIGAVLTIVS deſcripſit operationis modum: „ Paulo ſupra locum pudendo„ rum incidit cutem & adipem vſque ad „ commiſſuram labiorum maiorum; tum per „ muſculos pyramidales in ſecreta ventris pe„ netrans, indicem ſiniſtrae eo inſertum in„ teriori ſuperficiei ſymphiſeos applicuit, mox„ que ipſam perſecuit ſinchondroſim. „

Huic operandi methodo inſunt non pauca, quae mihi penitus diſpliceant. Inprimis enim ſectio iſthaec, ſi paulo ſupra locum pudendorum, id eſt, vt ego interpretor, in monte Veneris inchoata, nec vltra commiſſuram labiorum, quae mediae incumbit ſymphiſi, porrecta

recta fuit, longitudine vix duos poterat emetiri pollices; quod ſane generali chirurgiae legi aduerſatur, tanto longiorem praecipienti ſectionem externam, quo profundior eadem eſſe debet. Indicem ab eo poſt ſymphiſim inter eandem & vterum fuiſſe inſertum, nil miror. Nam foetus ingrediebatur peluim tranſuerſus; poſito vero, caput iam eſſe ingreſſum aut omnino inclauatum, qua ratione id tunc fieri poſſet, minime capio. Ex eo autem, quod tum confeſtim, quin ante ſectio externa produceretur, ſymphiſim diuiſerit, apparet, ipſum vel oblitum fuiſſe, vel ignoraſſe, quod commiſſura labiorum medium ſymphiſeos teneat. Quare hac operatione vti ſi quando mihi eſſet propoſitum, quantus quantus ſum, forem antiSIGAVLTIVS, nec quicquam aliud agendum exiſtimarem, quam qnod certiſſimis artis noſtrae praeceptis, quodue illarum partium affectionibus reſpondeat. Sectionem proin diſtinguerem geminam, hanc partium molliorum, illam ſymphiſeos. Sed en! vel prima illa non caret difficultate. Quippe vt fiat profunda, oblonga ſit prius, plane neceſſe eſt. Quo autem tendat? ſurſum? hac impedit in ſymphiſim dependens abdominis moles. Deorſum? obſtat foſſa pudendorum, parteſque in ea contentae. Artem conſulamus, quoad licet! hac magiſtra iuberem puerperae nates aſſurgere,

 pectus

pectus deprimi, vt abdomen in illud rediens locum det ſectioni: cetera teneri ſitum, qui ad exſecandum calculum praeſcribi ſolet. Alterum vero ne obeſſe mihi poſſet, inchoarem ego ſectionem, quae latitudinem digiti minoris habeat, prope ſymphiſim, & ſupra montem Veneris minimo vnius pollicis interuallo: tum praetereundo commiſſuram labiorum, ad duos vſque pollices infra eandem, in labio, deſcenderem. *) Quamdiu hoc modo cum cute & huic ſubiecta adipe res erit, cultellus mihi praeplacebit talis, qui acie ſit conuexa. Tum vero integra adhuc commiſſura a ſocio in alteram partem pertracta, ita, vt prior lateralis ſectio in medio compareat; muſculi pyramidales ſurſum ſeparandi, ventrisque cauitas omni aperienda cautione. Cui hiatui infererem & ego, vti SIGAVLTIVS fecit, indicem ſiniſtrae, & interiori ſymphiſeos ſuperficiei admouerem: ſin id fieri nequeat, conarer illam inter & pone adiacentem vterum cauum quoddam ſpecillum, aut oſſeam ſpathulam, quali in chartis complicandis vtimur, interiicere, a ſocio dein valide ſymphiſi adſtringendam. Quo facto indicem infimae ſymphiſeos orae

*) Prototypum huius ſectionis perfectum inuenies tabula XXII. pretioſi illius operis, quod HVNTERVS, Anglus, de vtero grauido edidit.

orae applicarem, exploraturus, quando illa cedere incipiat: moxque cultello recto & obtuſo nudam inciderem ſymphiſim; recepto poſtmodum altero cultello, prior illa partium molliorum ſectio aliquanto profundius producenda, proin & crus clitoridis diſſecandum, ne diſcedente ſymphiſi nimiam patiatur tenſionem. Qua ratione cauerem ego grauem vteri aut colli veſicae laeſionem, licet fortaſſe omni adhibita cautione non ſemper euitandam.

Patere ex hac deſcriptione, vt nihil magis, exiſtimo, ſectionem ſymphiſeos, ſiquidem rite inſtituatur, neutiquam eſſe eiusmodi, vt chirurgo negotium aut nullum aut certe minimum exhibeat, ſed contra, ac SIGAVLTIVS aſſeruit, caeſarea multo operoſiorem. Quamprimum enim a veteri illa opinione fuit diſceſſum, laeſionem partium neruoſarum ingens afferre periculum, conſueuit haec in media ventris regione vmbilicum inter & montem Veneris fieri, ita, vt ſolam initio cutem vna cum adipe, tum tendineam compagem, quae muſculos rectos coniungit & linea alba dicitur, diſſecari oporteat. Praeterea hi ipſi muſculi, cuius rei vadem habemus celeb. CAMPERVM, non raro ſponte ſua fatiſcunt; & patulo vulneri vltro grauidus ſeſe ingerit vterus, quo denique inciſo, foetum nullo

nullo negotio eximas. Vtrique inciſioni idem ſeruit cultellus, nec alio opus inſtrumento. Puerpera iacet porrecta in canapeo, vel in quadam tabula, qui certe ſitus minime ita moleſtus eſt, atque ille exſecando calculo neceſſarius. Quis itaque non videt, ſectionem caeſaream alteri ſymphiſeos vel eo ex capite non minus eſſe praeferendam, quod leuiorem poſtulet apparatum, celeriores faciat progreſſus, proin & magis felicem polliceatur euentum?

Symptomata.

Nunc ad ea examinanda pergimus, quae curationi ſuperuenerunt, & iudicio D. D. Commiſſariorum tribus continentur claſſibus, iſchiade, abſceſſu in mamma laeua, & vrinae incontinentia. Etiamſi negare nobis non ſit animus, malum iſchiadis ortum traxiſſe e lacte in primo partu reſorpto, idque poſtea ſingulis in partubus recruduiſſe; fatendum nihilominus eſt, eosdem dolores ruptae ſynchondroſi, quae os ileum cum oſſe ſacro connectit, facile tribui poſſe, imo opinione mea veriſimilius debere. Quam certum enim eſt, ſi duplicatae ianuae ſeram mediam recludas, illius cardines pariter commoueri: tam perſpicuum mihi videtur, reuulſo anterioris ſymphiſeos clauſtro, etiam ſynchondroſibus poſteriori-

rioribus peluis mutationem fore ſubeundam; eſto non adeo magnam. Attamen oſſa cartilagine obducta ſeparantur; interuallum confeſtim replet humor, qui ſenſim in acredinem degenerans irritat, inflammat, arrodit. Poſtremo vincula ſynchondroſis ſemper extendi neceſſe eſt, nec proinde parum debilitari. Quam igitur certiorem iſchiadici doloris ſtatuam originem, ego ſane non video. Quid fiet demum, ſi illa mutatio euadat maior, qualis plane erit, cum ſymphiſis interuallo duorum pollicum & dimidii diſceſſit? Tum enimuero vincula illa non ſolum extenſa, ſed rupta, non debilitata, ſed penitus disiuncta curationem admittent eo difficiliorem, quo magis ardua res eſt, eadem, externis mediis rurſum coarctata, quieſcendo reparare. Faſcias quantumuis validas coxendici circumpoſueris, id tamen obtinebis nunquam, niſi puerpera complures hebdomades immota eundem occupet ſitum. Quod an fieri poſſit, eſt ſane cur dubitem. Vt nihil dicam, quod D. D. Commiſſarii non omiſerunt, principio obſtare inflammationis periculum, quo minus arctis illam conſtringere faſciis liceat. Quamobren etſi Souchotia ſpeciem praebuit valetudinis in integrum reſtitutae, tamen curationi ſuperſtes iſchiadis malum, quod ſolum, iudicio D. D. Commiſſariorum, inceſſum retardabat, non

eo vsque ſanam teſtatur, vt ad commendandam ſymphiſeos ſectionem inuictum inde peti poſſit argumentum. Quin recte, ni omnia me fallunt, exiſtimo, quaecunque illam ſubire voluerint, tantum eius mali participes futuras, quanta ſimpliciter ſymphiſeos ſeparatio fuerit, & quae hanc neceſſario conſequitur, ſynchondroſis mutatio. Nil opus eſt aruſpicii, eſt enim iſchias affectio non caſu ſuperueniens, ſed ex re ipſa nata; non incuriae ſectionis triſtes reliquiae, ſed cuiusuis feliciſſimae comes ac ſatelles indiuidua.

Quod vero abſceſſum in laeua mamma attinet, aſſentior quidem D. D. Commiſſariis, eum operationi minime tribuendum; tantum tamen incommodi facile euitari poterat, niſi graui cum vulnere colluctantem puerperam ad lactandum adeo puerum impellere, SIGAVLTIO qua neſcio de cauſa placuiſſet. Nec ſane aliam cum iisdem admitto incontinentiae cauſam. Humorum enim iuge profluuium, quod D. LE ROI diu admodum pro lochiis habuit, ſed conuictus denique chemica analyſi D^ni^ BVCQVET, vrinam eſſe non negauit, clariſſime iudicarunt ex debilitato veſicae ſpinctere profectum, hoc ex diſtractione ſectionem ſymphiſeos neceſſario conſecuta, cui vtpote cum veſica, tum imprimis veſicae collum arctiſſime adhaereret. Quae cum ita ſint, eam, quam tule-

tulerunt, ſententiam & mihi cenſeo comprobandam, colligoque praeterea, nulla etiam admiſſa immediata veſicae laeſione (qua tamen nihil citius factum; quamque Souchotiae obueniſſe palam eſt) moleſtam vrinae incontinentiam tali operationi nunquam non eſſe acceſſuram.

Reliquis, quae morbo acciderunt, nil infuit ſingulare; ſed omnia rationi laeſarum partium plane congruebant. Verbo; in his demum ſectio ſymphiſeos ſimilis fuit ſectioni caeſareae. Quid enim aliud hanc poſteriorem ſolet comitari? Vulnus certe, valenti & illaeſo vtero inflictum, non tantis patet malis; fluxum ſanguinis mox cohibet contractio, quae euacuatum vterum conſequitur. At vero priorem gemina premit peſtis, & claudicans iſchias, & miſera vrinae incontinentia. Quid adhuc deliberatione opus? Euaſimus biuio! relinquenda eſt ſectio ſymphiſeos, eligenda caeſarea. Sed enim necdum illam, quanta quanta eſt, inſpeximns: quae porro ſui veſtigia relinquat; qualis vel callo obducta ingemat, poſtremo inquirendum ſupereſt.

Sequelae.

Quisquis anatomiam vel a limine ſalutauit, perſpectum habeat oportet, omnem humani

mani corporis molem pelui vnice inniti, quae quamuis virium actionem recipit, redditque. Quem in finem natura, prouida ſolersque rerum omnium mater, mirabilem oſſium, quibus ea conſtat, ſtructuram ſingulari ſtudio videtur aduerſus omnes iniurias muniiſſe; coniunxit ſane ſingulas illius partes non tam interiecta cartilagine, quam vinculis quibusdam ligamentis dictis & os oſſi connectentibus. Aſt quod ipſa ſummo ingenio inſtruxit; quod totius aedificii voluit eſſe fundamentum, inuadit, disiicit, euertitque audax ſymphiſeos ſectio. Hac vincula illa temere diſcinduntur; hac ſynchondroſes, ſi non omnino rumpantur, violenta ſaltem tenſione aegreſcunt, ita, vt quamuis poſtea ſymphiſis diuiſa callum ducat, diſſecta ligamenta rurſum coeant, diſtractae ſynchondroſes ſeſe reſtituant; tamen noua iſthaec coniunctio nequaquam tantam ſit vim habitura, quantam integris natura conceſſerat. Quid mirum, ſi dirutis fundamentis, impulſa aedium latera vacillent, apicem vertigo agitet, contignatio ſubſidens ingemiſcat, ac tota denique moles in momenta praeſentiſſimum minitetur ruinae periculum? quid tum puerperae, gemino afflictae infortunio, erit reliquum, quo vitam ſuſtentet ſuam? Recte, me Hercle! recte decretum fuit *Souchotiae* in reliquos vitae annos, qui forte perpauci, certe miſer-

rimi

rimi erunt, illud quamquam tantis tormentis impar ſtipendium, idemque omnibus, qui nulla neceſſitate pauperculas perdunt coniuges, diuus AESCVLAPIVS, mulctae nomine, bis imperaret. Sed hanc conferre quotusquisque poſſit chirurgorum, quibus maximam partem, vnde viuant, vix ac ne vix quidem ſuppetit? Perſtringamus iam breuiter cetera, quae ſectionem hanc poſſunt ſubſequi, incommoda. Quoniam callus ille, quo ſymphiſis denuo connectitur, nulla eſt pars organica, eam ob cauſam, ſecutura altera vteri grauidatione intumeſcet, & ſic ob defectum vinculorum ante partus terminum oſſa disiiciet. Nequit intumeſcere? nec ipſa poſthac peluis ſatis dilatabitur, inſtanti proin partui vehementer reſtitura. Quod ſi inſuper eundem oſſis in modum indurari contigerit, profecto ſecunda ſymphiſeos ſectio erit perquam difficilis. Tertiam vero, quartam, quintam perinde ita facilem fore & felicem, vt nulla res coniunctionem impediat, quis nobis adſtipulabitur, qui nouit demum, quanto ars ſit natura inferior? Nihil ſane horum caeſarea habet ſectio, eidem puerperae felici ſaepius ſucceſſu adhibita. Superſedebo longiori dictorum anacephaleoſi, ne taedium potius afferam, quam nouum addam robur; neue figuris rhetoricis cum SIGAVLTIO certare vo-

luiſſe, quibusdam maleuolis videar. Quae hucuſque a me in medium allata fuerunt, ſi vel viritim animo luſtrentur, abunde opinor comprobant, ſectionem caeſaream illi ſymphiſeos longe eſſe praeferendam, eoque magis, quod clariſſimum Facultatis teſtimonium minime afferat, coniunctionem ſymphiſeos in foemina *Souchot* omnino ſolidam euaſiſſe ac perſtabilem. Namque parum eſt, eam potuiſſe, iam baculo, iam brachio mariti ſuffultam, cubiculo ſuo obambulare, per aliquot ſcalae gradus aſcendere, poſteaque vnum, aut quod ſummum ſit, duo minuta erectam ſine fulcro conſiſtere. Dabo autem, quod necdum probabili auctoritate conſtat; euentum *Souchotiae* obtigiſſe ſecundiſſimum. Fingas adeo per me licet, & in noſtra Germania DD. SEBOLD, Herbipolenſem, & NAGEL, Bruchſalienſem, hac in re inuentorem gallum feliciter fuiſſe imitatos, vt diaria Francofurtenſia huius anni N:o 32 & 50 memorant: (quamquam praeoptarem ego, haec aliunde, quam ex nouellis politicis innoteſcere, in quibus eiusmodi res non raro praepropere, plerumque negligentius dicuntur). Tum quidem periculoſam ſymphiſeos ſectionem, prima ſtatim infantiae aetate, fortuito vna alteraue vice innoxios feciſſe progreſſus, ſicque viris impoſuiſſe doctiſſimis, mirabor ſane, imitabor paulo ſerius,

donec

donec eius ratio, ſi fieri poſſit, cum aetate adoleuerit. Namque

Ces exemples récens ſuffiroient pour m'inſtruire,
Si par l'exemple ſeul on devoit ſe conduire.
L'un m'invite à le ſuivre, & l'autre me fait peur;
Mais l'exemple ſouvent n'eſt qu'un miroir trompeur.

Cinna. act. II. ſc. II.

* * *

Abſoluta iam typisque tradita diſſertatione, ecce tria ſubito opuſcula eiusdem argumenti ad nos peruenerunt.

1. Réflexions ſur la ſection de la ſymphiſe du pubis, préſentées & dédiées à M. Lenoir, conſeiller d'état, lieutenant-général de police. Par Mr. Piet, accoucheur chargé par le gouvernement de ſecourir les femmes indigentes dans les accouchemens difficultueux. A la Haye, & ſe trouve à Paris chez Didot le jeune, libraire quai des Auguſtins. 1778.

2. Tractatus de anteponenda ſectione caeſarea ſectioni ſymphiſis oſſium pubis, auctore Arnoldo Bamps, Lugduno-Batauae Facultatis Medicinae Doctore. Geneuae, proſtat Pariſiis apud Debure, natu maiorem, ad ripam auguſtinianam. 1778.

3. Sendſchreiben an Hrn. J. M. Aeplin, der Arzney Doctor ꝛc. über die Operation der Symphiſe, oder die Entbindung durch die Trennung der knorplichten Vereinigung der Schoos-

Schoosbeiner, von J. U. Oſwald, M D. und Geburtshelfer. Schafhauſen, gedruckt bey Benedict Hurter und Sohn. 1778.

Non ſane iniqui fuimus, nec nimis infenſi Sigaultiani nominis obtrectatores: En nouum veritatis vindicem, celeb. LOVISIVM, qui mediis in Lutetiis, habita ſolenni litteraria concione, corniculam furtiuis nudare coloribus nihil fuit veritus. Teſtantur id gazulae Colonienſes Nro 38. 1778. art. *Paris le* 4. *Mai*, quarum verba ex gallico in latinum translata ſubiungimus: " cum elapſo Paſchate Acade-
„ mia chirurgica ſolemne celebraret princi-
„ pium, oratio aduerſus operationem ſymphi-
„ ſeos, quam Medica Facultas ſummis orna-
„ uerat laudibus, a celeb. LOVIS fuit dicta.
„ Quare liceat cuiuis hac in re etiamnum eſſe
„ ſcepticum. Etenim in decidenda quaeſtio-
„ ne, an illa ſectioni caeſareae ſit praeferenda,
„ auctoritas Domini LOVISII & complurium
„ eius collegarum, qui & anatomica & obſtetri-
„ cia arte inclaruerunt, maximi apud nos pon-
„ deris eſſe debet: nec malitiae notam is effu-
„ geret, qui tam diuerſam ſentiendi rationem
„ vellet inuidiae & ſimultati tribuere, quae me-
„ dicis multo iam tempore cum chirurgis inter-
„ ceſſit; eoque magis, quod D. SIGAVLT, auctor
„ ſectionis ſymphiſeos, ab his ad illos transfu-
„ gerit, ibique nouum ſuum inuentum in opus

„ deduxerit, collegio Medicorum antea pridem
„ adſcriptus. Interfuit & ipſe concioni, ac pro-
„ in ſuismet audiuit auribus, celeb. LOVISIVM
„ ſcite & venuſte conuerſo ad veritatem ſermo-
„ ne palam affirmantem, iis, quae de ſectione
„ ſymphiſeos conſentiente Facultate & ex con-
„ dicto fuiſſent vulgata, ſubeſſe fraudes dolos-
„ que (qu'il y avoit des impoſtures dans ce
„ qu'il a écrit de concert avec la Faculté). „ Io! diuiſae ſunt Lutetiae; veritas eadem in vrbe & hoſtes & amicos nacta eſt fortiſſimos. Breui disiectis fraudum tenebris triumphabit illuſtrius; conticeſcent prodigae graeculorum panegyres; gentiles mei conquerentur, infauſta quemuis Gallum imitandi libidine ſe miſere deceptos. Atque olim in faſtis chirurgicis poſteri haec fortaſſe legent: Sub finem ſaeculi XVIII. ſectio ſymphiſeos, a quodam SIGAVLTIO Pariſiis infeliciter peracta, nihilominus applauſus & proemia a Facultate medica ex condicto obtinuit, quin adeo ſectione caeſarea potior & ſalus humani generis vbique terrarum praedicari caepit. Verum mox & ab exteris & a domeſticis, cumprimis a cel. LOVISIO, acerrime impugnata cum laruam diutius ſuſtinere nequiret, aliquot poſt menſibus denudata erubuit; eiusdem autem praeco ludibriis expiauit fraudem, itaque proemium digniſſimum tanto retulit promiſſor hiatu!

Quan-

Quantopere dolendum nobis fuit, praeclaras haſce lucubrationes, quae ſane permulta eaque non leuia aduerſus SIGAVLTIVM argumenta praebent, paulo ſerius obtigiſſe quam vt aliquem illarum vſum temporis anguſtiae permitterent: tantum rurſus gauduim attulit optatiſſimus tantorum virorum conſenſus, quorum auctoritatem ſingularia quaedam videntur commendare; fuit enim Dus. PIET, is ipſe chirurgus, qui primo *Souchotiae* partu foetum exemit: Dnus. BAMPS, amicus idemque tunc temporis, quo iſthaec peragebantur, Dni. ALPHONSI LE ROI in arte obſtetricia diſcipulus.

Non igitur primi SIGAVLTIVM oppugnauimus, vnde inuidia conflari poſſet, ſed eo ipſo neque ſoli, quod aequitatem cauſae comprobat; gratulamur autem nobis imprimis eo ex capite, quod praeſtantiſſimum virum D. OSWALDVM ſententiae noſtrae defenſorem pene in confiniis habeamus. Quare quae huic diſſertationi deſunt, qui porro cognoſcere voluerit, conſulat eorumdem ſcripta, in iisque, ni omnia me fallunt, inſtructiſſimam rebus omnibus penum admirabitur.

F I N I S.